

Transcription of Cambridge University Library Ms. Add. 3037, fols. 1-77r, by kind permission of the Syndics of Cambridge University Library.

[Vita et Miraculi Sancti Willelmi Martyris Norwicensis]

**1ra**

[Incipit] prologus de uita et [pas]sione Sancti Willelmi Martyris Norwicensis.

**R**euerende sanctitatis patri et domino Willelmo dei gratia Norwicensi episcopo Thomas Monemutensis monachorum suorum minimus salutem et debitum obedientie famulatum. Generali amori uestro speciali meo deuote connexus paternitati uestre offerendum et communicandum presens opusculum curauit, tam uestri cupidus iudicii quam nostri studiosus inuenti. Cumque eloquentiam uestram ipsa congnouerit Roma, compererit Gallia, uniuersa quoque sepissime senserit Anglia; admirari neminem congruit, prudentissime discussionis uestre me subire iuditium, uestreque ferule subducere manum. Nouerunt siquidem tam ultramarini quam Angli nostri quanta eloquentie uestre diffluant flumina, quantaque uobis in diuinis seu liberalibus studiis peritia et dicendi |

**1rb**

affluat copia. Itaque gloriosi Martiris Willelmi miracula compositurus paternitatis uestre dilectionem, dilectionis benignitatem, ac benignitatis humiliter imploro gratiam, ut presumptionis mee imperfectioni perfecta concedatur uenia. Cum sim enim ingenio tardus et indoctus eloquio, compellente tamen beati martyris amore, quia uirtutes eius tacere non possum, more balbutientium puerorum qui se sponte

ad hoc ingerunt quod plene explere non possunt, utcumque tamen susurrare conatus sum. Verum id non ambigo quoniam apud omnipotentem et pium dominum non tam operis effectus quam pie uoluntatis simplex attenditur affectus. Vnde lectorem premoneo, si quis tamen hec amore captus legere uoluerit, sub huius opusculi serie non eloquentiam, non uerborum leporem querat, sed magis inuidis siue detractoribus pro me respondeat, nouo scilicet operi ueniam concedendam. Hec autem dico, non quo studium nostrum quasi sub excusationis nubilo insolenter extollam, sed quo sudoris conscius |

### 1va

ad lectionem nouam desiderantes inuitem. Viatores non nunquam gratiorem habuere aquam breuis uene stillantem fonticulo cum siciunt quam profluentes fontis riuos quorum copiam sitis tempore non inueniunt. Sed et hortorum amena mirantibus herbe agrestes non nunquam placuerunt. Illud etiam plerumque contingere solet Virgilianum quod 'alba lingustra cadunt, uaccinia nigra leguntur'. Excusat utique materia scriptorem, cui enim uerborum abiecta displicuerit multiplicitas sensus saltem fidelis non displicebit ueritas. Malui siquidem uerecundiam meam negligere quam tot ac tantas sacri martyris Willelmi uirtutes obliuione uel ignorantie situ ueterascere. Et quoniam passionem eius atque miracula sub incude nostra informari fratrum postulauit karitas, ea pie fidelium deuotioni propalanda aggredior studio non tam eleganti quam fideli. Atque ut asellus nec oneri sufficiens nec reniti ualens ultro me tam pie exactioni submitto. Verumptamen huius oneris portitorem |

### 1vb

quempiam maluiss[em al]terum qui ad feren[dum] a[pti]or inueniretur et esset. Quod quia non contigit, me malo esse quam neminem. Dumque id tam audacter aggrediar presumptionis me reum fateor, sed detur uenia cum excuset cogens exactio fraterna. Non est autem presumere sanctorum uitas ac uirtutes scire uolentibus propalare. ‘Secretum quippe regis celare bonum est, opera dei manifestare honorificum’ et unicuique debitum Christiano. Si quis uero aliqua in libello presenti non uerisimilia interserta reppererit, non tamen mendacii reatum nobis imputet, quoniam non nisi que uidimus uel que fama diuulgante cognouimus ad presentium et futurorum instruendam deuotionem litteris mandare curamus. Nec me quisquam estimet amoris studio aliquid posuisse quod fide careat, quandoquidem melius sit penitus nichil dicere quam falsum ad fallendum proferre, cum non ignoremus de omni nos sermone rationem reddituros. |

## 2ra

[Melius e]st profecto linguam [silen]tio reprimere quam ad anime [de]trimentum falsa narrare. Quoniam igitur ‘os quod mentitur occidit animam’, mihi absit sacris mentiri rebus siue ‘uerbum adulterare domini’. Cum uero tantum tante ueritatis presentibus seculis affluat indicium, cur necesse habeam uel uerum suppressere uel mendacia concinnare? Itaque non a maliuolis falsarius siue mendatorum dicar compiler, quasi, quemadmodum ait beatus Ieronimus ‘errores non auferam sed fictitia seram’. Cesset ergo contra nos arcuato uulnere insurgere scorpius; sanctumque opus uenenata carpere lingua desistat. Verum nostri laboris emulus quociens caninas in nos erexerit cristas, humilitatis nostre opusculum uestra presul uenerande uenerabilis patrocinetur auctoritas. Sunt enim nonnulli qui peruerso ducti spiritu sicut que scripta sunt credere renuunt, sic a plerisque testificata

reprehendunt, immo et uisa tamquam ficta fastidiunt, non habentes in fide quod apostolus Thomas gestabat in corde, 'nisi uidero non credam'. Sed uoce dominica dico, 'beati qui non uiderunt et crediderunt'. Ex huiusmodi quisquis es, hoc attende, quia etsi non omnia ab omnibus, a diuersis tamen diuersa poterant sciri, ea que multis cognita esse que ipse minus uel audire uel uidere potuisti. Semper in propatulo habet emulos fortitudo, 'feriuntque summos fulgura montes'. Vnde et Plinius: 'optima queque uideri uolunt obtreectare plerique quam discere'. Caue igitur, obtreectator, ne dum rata reprehendis in blasphemie traharis errorem. Inter hec omnia lector diligens diligenter attendat ne et labor noster et ipsius studium pereat. Eligat unusquisque quod uelit et fastidiosum potius se probet quam maliuolum. In domo quippe domini cum urna aurea et fictilis est necessaria. Postremo duplicem a te ueniam, lector, deosco; hinc quod soloecismis et uerborum abiectioe aures tuas uulnero, inde quod prolixior pagina uidetur parturire fastidium. Sed non pigeat recensere quod Christum prestare non piguit: qui dum sanctos suos glorificat nos exemplis |

## 2va

gloriosis inuitat. Ne autem lectoris diligentia multiplicatis pigrescat tedio quantulam libelli nostri quantitatem in septem curauit codicillos distinguere, ut per interualla respirans pia legentis deuotio ad<sup>1</sup> percurrenda singula promptior ad anteriora nunquam desistat anelare. Primum siquidem quattuor distinguens gradibus sanctam sancti martyris pueritiam et uenerabilem eiusdem descripsi passionem, sacrique corporis siluis expositi et adhuc sub diuo iacentis declaratam celestibus indiciis subiungens reuelationem primam ex silua scilicet in urbem subieci

---

<sup>1</sup> *ad* added above

translationem. Secundum uero tripliciter parciens codicellum, sancta uirtutum eius primordia dignis condigna relatione uisionibus et miraculorum signis declarata prelibauit, et deinde Christianicidarum iudeorum exposito excidio, demum Christianorum ac succedentium Norwici iudeorum coram rege Stephano disceptationem supposui per oratoriam. Tertium bifarie diuidendo, secundam sacri corporis translationem mirabilemque sepulcri eius exaltatio |

### 2vb

nem descripsi et pr[oinde] recuperationem luminis q[uius]dam adiunctis miraculis [adu]nauit. Quartum triformiter distinguendo, premissis nonnullis miraculis, primo sublatis tapeti restitutionem, medio sanctorum dentium admirandam reuelationem, ordine tertio miram fonticuli sub radicibus arboris ubi primum expositus iacuit exposui inuentionem. Quinto autem libello tertia translatio declaratur, crebra miracula consequuntur, mors matris sancti martyris uisione mira predicatur. Sexto quippe ab incarnatione domini anno Mo Co LIIIo quarta translatio facta describitur, quam consecuta frequens miraculorum multiplicitas comitatur. Septimus in miraculis totus toti libro finem imponit. Hanc igitur rei geste quibusdam compendii gratia distinctam gradibus ueritatem pius lector attendat, atque sub breui summa uniuersa percurrans quod inde magis concupiscit ubi inuenire possit agnoscat. Nunc uero quoniam prologi metam excessimus, reuocato cursu prologum terminamus. Sub cuius |

### 3ra

[finem] uestram, uenerande presul [Wille]lme, prudentissimam deprecor [dis]cretionem ut libellum presentem quem examinationi<sup>1</sup> uestre committo diligenti percurratis animaduersione, superflua recidens, male dicta corrigens, et cetera, si

qua tamen digna sint, in sua statione permittens. Vale, sanctissime pater.

Explicit prologus.

3ra

Explicit prologus.

### Capitula LIBRI PRIMI

Incipiunt capitula libri primi.

[i. D]e matris uisionis presagio.

[ii.] De Natiuitate sancti Willelmi et uenerabili pueritia.

[iii.] Qualiter ad iudeos diuertere solitus et ideo a suis increpatus, se inde retraxerit.

[iv.] Qualiter a iudeorum nuntio seductus fuerit.

[v.] Qualiter ad iudeos intrans, illusus sit et occisus.

[vi.] Quod consilium super eo occultando Iudei acceperint.

[vii.] Qualiter et a quibus asportatus et in silua sit absconditus.

[viii.] Qualiter datis centum marcis vicecomiti tunc iohanni, a timore pereundi liberati sunt iudei.

[ix.] Qualiter super corpus sancti martyris silua iacentis lux de celo fulserit in modum ignee scale.

**3rb**

- [x.] **Q**ualiter et a quibus inuentus sit.
- [xi.] **I**]tem inuentio altera sancto eodem sabbato pasche.
- [xii.] **Q**ualiter et a quibus in nemore sepultus sit.
- [xiii.] **Q**ualiter presbiter Godwinus an ipse sit scire uoluerit.
- [xiv.] **D**e presagio uisionis matertere illius.
- [xv.] **D**e planctu matris, de nece filii iudeos accusantis.
- [xvi.] **Q**ualiter in synodo presbiter Godwinus de iudeis conquestus, ipsos de morte pueri Willelmi reuera reos esse se per dei iudicium probaturum obtulerit.
- [xvii.] **Q**uod Aymarus tunc sancti Pancratii de Lewes prior corpus sacri martiris tunc secum transferendi, ab episcopo licentiam petierit.
- [xviii.] **Q**uomodo a silua in urbem allatus a monachis susceptus lotus atque omnibus membris incorruptus inuentus sit.
- [xix.] **D**e tumulatione ipsius in cimiterio monachorum.

**Incipit liber primus.**

[i.] **D**e materni sompni presagio.

**V**olens diuine pietatis miseratio Norwicensem immo et totius anglie uisi |

**3va**

tare prouintiam, eique nouum nouis temporibus dare patronum, dedit puerum inter precipuos martires annumerandum uniuersis sanctorum agminibus honorandum in nescie matris uisceribus concipi, fecitque rosam odoriferam de spinis paulatim pullulare. Erat autem pater eius quidam Wenstanus nomine, mater uero Eluiua dicebatur, ruri quidem legitimam uitam agentes, ac necessariis uite subsidiis admodum habundantes. Nullique uideatur absurdum puerum tante sanctitatis ac dignitatis futurum, ab infimis parentibus deum uelle generari, cum et ipsum constet de pauperibus uoluisse nasci. Mater igitur sed nescia iam diuino nutu conceperat, ignoransque pululantia uirilis seminis germina sub uisceribus gestabat. Contigit autem admirabili honorande uisionis designari presagio quante sanctitatis foret et dignitatis quod gestabat in utero. Videbatur etenim dormienti illi se cum patre suo Wluuardo presbitero famoso quidem illius temporis uiro in uia quadam una |

**3vb**

consistere, atque pre pedibus [deor]sum lumina inclinantem [pis]cem qui uulgo lucius dicit[ur] uidere. Piscis uero pinnas utrimque rubicundas et tanquam sanguine aspersas habebat duodecim. Aiebat igitur illa patri: "Pater, piscem uideo; sed uehementer admiror quomodo huc aduenerit, uel qualiter in loco tam arido uiuere possit." Cui pater: "Tolle filia, tolle illum, et in sinum repone." Quod cum fecisset uidebatur piscis in sinu se mouere et paulatim adeo succrescere, ut iam sinus ipsum comprehendere non posset. Elabatur ergo et per manicam exiens, assumptis subito alis sursum euolauit, nubesque transiens aperto sibi celo in ipsum se recepit. Quo



uiso mulier expergefata est, et quod nocte per sompnum uiderat, mane patri retulit. Pater itaque plurimam exponendarum uisionum peritiam habens, quid hoc presagii foret uel quid portenderet admiratus, primo secum excogitauit, atque singula reuoluens post modicum filie respondit: "Noueris utique, dilectissima filia, te |

#### 4ra

[imp]regnari, et gaudio gaude, [quonia]m reuera paritura es filium qui et in [t]erris honorem maximum consequetur et super altitudinem nubium eleuatus in celum plurimum exaltabitur. Scias quoque cum puer duodennis fuerit etate ad huius tante culmen sublimabitur glorie. Non autem credendum est patrem filie tam certissimum huiusmodi uerbum denuntiare ex suo, sed ex diuino spiritu, cui soli constant presentia etiam que uentura sunt uniuersa. Iuxta patris etenim sermonem et filia filium habuit, qui et duodennis ad prelibati culmen honoris peruenit.

#### [ii.] De natiuitate eius et infantia.

Excursu denique aliquanti temporis spatio et adueniente determinata pariendi die natus est mulieri filius, et uocatum est nomen eius Willelmus. Natus est autem die purificationis dei genitricis et uirginis Marie, die scilicet candelarum; et fortassis ut per hoc ipsum denotetur quoniam multe puritatis et sanctitatis puer foret, atque candelas et candelarum luminaria plurimum diligeret. Quod autem a matre et fratribus eius atque presbitero |

#### 4rb

qui eum baptismo regenerauerat postmodum didici, nequaquam silentio pretereundum, sed et interserendum adiudicaui. Quippe ablactationis eius die dum pater eiusdem Wenstanus a[f]fines ad conuiuium euocatos festiue pasceret, penitentialis quidam brachia ferreis innexus nexibus quasi ad elemosinam conuiuantibus intererat. Qui post cibum cibo letificatus cum puerulum minibus quasi applaudendo teneret, puerque puerili simplicitate ferreos admirans nexus palmulis eos palparet, uincula subito rumpuntur et in partes dissiliunt. Ad hec uisa stupefacti conuiue miris admirantur modis et quod contigerat pueri ascribunt meritis. Sicque penitentialis ille diuina liberatus gratia gratulabundus recessit et predictus presbiter qui conuiuantibus intererat dissolutos colligens nexus in ecclesia sua de Haueringelant tum ad presentium memoriam tum ad posterorum noticiam in propatulo deposuit atque eos diutius conseruare curauit. Mater quippe natum ceu quem summe |

#### 4va

diligebat summa diligentia educauit, et diligenter educando ab infantia ad intelligibiles pueritie annos perduxit. Qui dum septennis adhuc esset, ut matris relatione didici, adeo cepit abstinentie amator existere ut fratribus natu maioribus non ieiunantibus et ipse tribus in ebdomada feriis, scilicet secunda, quarta et sexta ieiunaret diebus. Apostolorum ceterasque sanctorum denuntiatis populo uigilias deuotis celebrabat ieiuniis; et excrescente paulatim deuotionis ardore nonnullos pane contentus et aqua transigebat dies. Pietatis siquidem affluens uisceribus quod sibi de uictu subtrahere uel a matre precibus extorquere poterat, siquando aperte non auderet, totum pauperibus clam erogabat. Sed

inter hec tum pius tum benignus adeo se prudenter agebat ut ex eodem facto et egentibus pro posse suo proficeret et parentibus molestiam non inferret.

Ecclesiam quoque libentissime frequentabat; litteras, psalmos et orationes discebat et quecunque dei erant summa ue |

#### 4vb

nerabatur reuerentia. Diu[ina] illum in omnibus preueniente gratia dil[ige]nti appetebat studio, et ut omnibus mansuetus ab omnibus amaretur, et nulli in aliquo molestus fieret. Operabatur nimirum diuine dispensationis prouidentia in infantulo, scienter quidem nescio, et sapienter indocto, gratie sue magna; certisque iam tunc indiciis designabat quanti postmodum meriti futurus erat.

[iii.] Quod ad Iudeos diuertere solitus et a suis super hoc increpatus se inde retraxerit.

Cum itaque tam uenerabili floreret pueritia et octauum iam ageret annum, a parentibus traditur pellipariis arte pelliparia instruendus. Quid multa?

Docilitate uigens ingenii et diligentiam adhibens studio, in breui coequos in arte memorata longe antecessit, et nonnullos quos doctores habuerat equiparauit.

Relicto denique rure, diuino illum trahente nutu, urbi se contulit atque cum quodam nominatissimo artis illius magistro moratus aliquanti temporis spatium transegit. Ruri siquidem rarus, urbi uero assiduus, circa |

#### 5ra

[pre]libate artis sedulo studuit [a]rtificium, et ad duodecimum etatis peruenit annum. Dum ergo Norwici moraretur, iudei qui tunc temporis ibidem manebant

ad reparanda pallia, pellicias, uel cetera huiusmodi, seu que in uadimonio habebant, siue quibus utebantur, ipsum sibi pre omnibus pellipariis elegerunt. Illum etenim sibi maxime reputabant idoneum, siue quia simplicem et artificiosum didicerant, seu quoniam auaritia ducti minori ipsum pacari precio existimabant. Sed, quod magis credo, diuine nutu prouidentie ad martyrium ad quod a seculis predestinatus fuerat, quibusdam ita paulatim gradibus trahebatur, et a iudeis in dominice passionis obprobrium deludendus et immolandus tanquam minus prudens et magis idoneus eligitur. A iudeis enim quibusdam ad fidem Christianam postea conuersis ueraciter cognouimus quoniam eo tempore id ipsum de aliquo Christiano facere proposuerant, et ad complendum malignitatis sue propositum puerum Willelmum duodennem admodum reuera innocentem ab initio quadragesime preelegerant. |

### 5rb

Cum igitur uenerabilis puer excogitate fraudis ignarus Iudeos frequentaret, a Godwino presbitero qui eius habebat materteram, et a quodam Wulwardo apud quem hospitabatur increpatus, et ne ad illos ulterius diuerteret, est prohibitus. Iudei uero de sui nimirum adnullatione consilii condolentes, totis uiribus ad resarciendum disposite malignitatis dampnum eo acrius institerunt quo et determinati facinoris exequendi uehementius dies instabat, et preda quam se iam cepisse estimabant e funestis longius elapsa manibus fuerat. Omnem itaque uersute machinationis sue conflantes astutiam, quendam Christianum nescio siue iudeum uersutissimum quidem et congruum ad tam execrabilis facinoris exequendum flagitium repperiunt, et cum multa festinatione, quoniam pascha

suum post triduum instabat, ad exquirendam ac reducendam predam quam e manibus eorum prediximus elapsam mittunt.

[iv.] Qualiter a Iudeorum nuntio seductus fuerit.

Illuscescente uero post ramos palmarum feria secunda, execrabilis ille iudeorum |

**5va**

nuntius iniunctum sibi executurus negotium ab ipsis digreditur, summaque ab ipso exquisitus diligentia puer tandem Willelmus inuenitur. Inuentum fraudulentis uerborum circumuenit insidiis et circumuentum fallacibus tandem decepit promissis. Fingebat siquidem se Willelmi archidiaconi Norwicensis esse coquum, ac uelle se illum in coquina habere socium. In qua si secum perseueraret multa per illam commoda in posterum perciperet. Decipitur simplex puer, hominique se credidit. Super hoc tamen et materni fauoris habere uolens assensum, quoniam pater eius iam ab hac luce migrauerat, ad ipsam cum illo perrexit. Ad quam cum peruenissent, uie causam puer insinuat et traditor iuxta prelibati sermonis tenorem fallacie sue tendiculam intentat. Promittens quippe multa filius ille perditionis puerilem inanibus pollicitis facilius illexit animum; sed primo super his maternum nullatenus extorquere potuit assensum. Insistenti siquidem traditori assentit puer innocens, sed resistit mater presagis uisceribus et materno affectu fil[io] suo timens. Hinc traditor et inde mater: rogat ille, ne[gat] et illa. Rogat ille, sed ut perdat; negat illa, sed ne amittat. Ille se archidiaconi coquum asserit: illa uero nequaquam credit. Inter illam igitur et illum, ceu inter ouem et lupum prima fronte fortissimum, pro tercio duellum

cerneres. Agnus erat medius, hinc ouis, inde lupo. Instat lupo ut diripiat et deuoret: perstat ouis ut eripiat et conseruet. Verum quia alteri puer illectus fauebat alteriusque sibi assensum incessanter supplicabat, mater tum crebris filii precibus conuicta, tum bonis uiri pollicitationibus seducta, demum assentire licet inuita compellitur. Indutias tamen filio uel usque post pascha petiit: sed traditor pro triginta argenteis pueri per triduum carere presentia se nolle iurauit. Negat mater, et iurat se non ante pascha filium dimissuram. Traditor itaque tres solidos e marsupio trahit, quibus matris pietatis labefactaret affectum et inconstantem femine leuitatis rigorem, argenti splendore corruptum, ad cupidi |

**6ra**

[tatem] defleceret. Porrigitur [a]rgentum quasi muneris immo reuera innocentis sanguinis precium; nec tamen adhuc materna concutitur pietas, neque pietatis quodammodo iam futuri presagus mali facile inflectitur affectus. Insistitur pariter, tum hinc precibus, tum inde et argenteis; ut si precum instantia indurati constantiam animi non emolliret, arridentis pecunie splendor ad cupiendum sollicitando inuitaret. His itaque matris acriter pulsabatur animus, et iam sub dubio posita paulatim titubabat materna pietas, et preclaris tandem illecta argenteis cupiditate conuincitur; et conuicta ad id quod nolebat uolens nolens inclinatur. Et quid multa? Conuicta denique matre, lupo committitur agnus et traditori puer traditur Willelmus.

[v.] **Qualiter ad Iudeos intrans captus sit, illusus et occisus.**

Mane itaque traditor ille, ac fere per omnia iude traditoris imitator, cum puero Norwicum regreditur, transiensque per domum matertere pueri cum puero

intrauit, matrem sibi tradidisse cum dixit, et festinanter exiit. Tunc pueri mater |

### 6rb

tera continuo filie ait: "Cito prosequere illos", caute considerans quorsum homo ille puerum deducat. Egressa ergo puella, uiam illorum exploratura, diuertentes eos per priuata diuerticula a longe secuta est. Sequens uero tandem hospitium cuiusdam iudei subintrare conspexit, et continuo post eos hostium claudi attendit. Quo uiso ad matrem rediit, que uiderat nuntiauit. Porro puer, uelut agnus innocens ad occisionem adductus, a iudeis blande suscipitur, et quid negotii erga se tractaretur ignarus in crastinum reseruatur. Postera uero luce, que illis anno illo paschalis aderat, expletis que ad diem festum pertinebant in synagoga canticis, iudeorum principes in memorati iudei domo pariter conueniunt, puerumque Willelmum epulantem et nichil fraudis prorsus metuentem subito rapiunt, eique uariis ac miserabilibus illudunt modis. Quibusdam etenim eum a tergo tenentibus; alii aperto ori tormentum quod uulgo teseillun dicitur intromiserunt, atque per utrasque fauces ad posteriorem colli partem reductis corrigiis firmissimo astrinxerunt nodo. |

### 6va

Postmodum uero breui funiculo auricularis fere digiti habente grossitudinem arrepto, trinumque in eo certis locis assignantes nodum, caput illud innocens a fronte in occiput circumcingunt; medium quippe fronti nodum extremosque alios hinc et inde temporibus<sup>2</sup> imprimentes, utrarumque partium capitibus ad occiput strictissime contractis, et strictissimo confecto ibi nodo, quod funiculi

---

<sup>2</sup> ms: timporibus

supererat circa collum itidem hinc et inde ad anteriora colli sub mento contrahendo reducunt, ibique illud insolitum tormenti genus in quinto nodo consummant. Sed necdum his torquentium exsaturari poterat crudelitas nisi et grauiore superadderent<sup>3</sup> penas. Capite etenim raso infinitis illud spinarum punctionibus uulnerant, inflictisque uulneribus miserabiliter cruentant. Adeoque crudeles atque promptissimi in inferenda erant pena, ut uix discerneres utrum crudeliores siue ad torquendum forent promptiores. Crudelitati siquidem uires et arma fouebat et subministrabat torquendi peritia. Ita ergo Christiani |

### 6vb

nominis aduersariis t[ali ma]lignitatis spiritu circa puerum debachantibus, aliqui eis interfuerunt qui in dominice passionis opprobrium crucis illum adiudicarunt patibulo. Factumque est ac si dicerent: "Quemadmodum Christum morte turpissima condempnauimus, et Christianum pariter condempnemus, ut dominum ac seruum pari plectentes pena impropertii eius penam quam nobis asscribunt in ipsos retorqueamus." Ad exequendum igitur tante et tam execrande malitie conspirantes, flagitium mox innocentem uictimam manibus cruentis arripiunt et a terra sublatum patibuloque applicatum pari uoto certatim extinguere contendunt. Et nos rem diligentius inquirentes et domum inuenimus et rei geste signa certissima in ipsa deprehendimus et manifesta. Erat autem, ut fama traditur, pro patibulo postis inter postes duos medius lignaque ad ipsos a medio in dexteram et leuam utrobique porrecta. Et sicut per uulnerum et uinculorum uestigia postmodum reuera deprehendimus, a dextris dextera et pes

---

<sup>3</sup> ms: superadderet



dexter |

7ra

[u]inculis strictissime coartantur; a sinistris uero leua nec non et pes leuus gemino clauo affigitur. Hec autem ex industria sic agebantur ne scilicet quandoque inuentus deprehensus in eo hinc et inde clauorum fixuris, a iudeis non a Christianis deprehenderetur utique fuisse occisus. Sed dum hec facientes, penis penas et uulnera superadderent uulneribus, necdum tamen crudelitatis sue uecordiam extinguere et innatam sibi Christiani nominis inuidiam poterant saciare. Nempe post tot et tantos supplitiorum cruciatus sinistro eius lateri usque ad cordis intima uulnus acerbum infligunt, et quasi finem rei facientes uitam in ipso quantum in ipsis fuit mortalem extinguunt. Et quoniam per totum corpus plurimi sanguinis defluebant riui, tum ad reprimendum sanguinem tum ad lauanda et claudenda uulnera, a capite deorsum feruentissimam infuderunt aquam. **Sic itaque gloriosus puer et martyr Christi Willelmus in dominice mortis obprobrium temporaliter moriens, gloriosi sanguine martyrii laureatus, superne glorie adeptus est regnum eternaliter uiuens.**<sup>4</sup> Cuius anima inter egregia agmina sanctorum in celis feliciter exultat; cuius corpus diuine miserationis omnipotentia in terris gloriose mirificat.

[vi.] **Quale consilium super eo occultando acceperunt.**

Completo itaque malignitatis sue proposito iudei secum de cetero consulentes corpus exanime poste dependens deponere curauerunt, et quid super eo faciant commune consilium ineunt. Aiunt plurimi illud in immundo loco prociendum,

---

<sup>4</sup> In margin: Anno ab incarnatione domini M° C° XLIII° XI° Kal. Apriles feria IIII<sup>a</sup>, die Mercurii.

tanquam in obprobrii et dedecoris augmentum. Astutiores uero nonnulli tellure abscondendum putant, ne ipsum Christiani aliquatenus inuenire preualeant. Sed diuina dispensante clementia que tam egregium martyrem posteris reuelandum temporibus prouidebat, nec loco immundo deici neque tellure permisit abscondi. Diuino igitur id ipsum dispensante consilio, dubitantibus illis et quid faciant nichil adhuc pro certo habentibus, omnes in hoc unanimes consentiunt ut, dum circa id negotii di |

### 7va

ligentius excogitent, ipsum loco secretiori interdum conseruent. Crastina uero illuscescente die ad prelibatum iterum conueniunt negotium et, sicut ab aliquo eorum postmodum didicimus, illis quidem satis super eo pertractantibus, et quid agerent prorsus adhuc ignorantibus, quidam qui inter ipsos maioris erat auctoritatis, diuino ipsum inspirante et impellente nutu, tale eis fertur dedisse consilium: “Audite me, fratres, dominice legis emulatores<sup>5</sup>; nobis per omnia inutile fore censeo et periculum postmodum affuturum pertimesco, si huius Christiani corpus uel cloacis nostris demergatur siue sub tellure infra hospitiorum nostrorum recondatur ambitum. Cum etenim precio comparatis maneamus hospiciis, si infra mensem uel citius noua aliqua insurgente causa his omissis ad alia transeamus, omnia que discessum nostrum consequi possunt nimis uereor, et que maxime timeo nisi contingant uehementer admirabor. Discedentibus nempe nobis subintrantes Christiani uniuersa profecto scrutabuntur, et tunc quis non credat |

---

<sup>5</sup> deleted: imitatores

**7vb**

eos uel cloacas in obprobrium nostrum purgare, uel impletis ueteribus nouas quo libuerit loco effodere? Quid ergo? Contingens est et facile a purgantibus siue a fodientibus corpus inueniri. Quo inuento, nequaquam Christianis factum imputabitur, sed totius facti crimen in nos nimirum transfundetur. Non enim uerisimile uidetur quod aut Christiani de Christiano, aut iudei talia aliquatenus uoluissent de iudeo. Quid itaque inter hec restat medium nisi rei geste ueritas et ueritatis aperte inditium ad omnium nostrum communis periculi detrimentum? Profecto improvidentiae nostrae culpa non immerito genus nostrum tunc ab anglie partibus funditus exterminabitur; immo et, quod nobis magis uerendum est, nos et uxores ac paruuli barbaris trademur in predam, rapiemur ad mortem, dabimur in exterminium, et erit nomen nostrum cunctis obprobrium gentibus in eternum. Ad euitandos igitur tot imminentium malorum incursus prudentiori nobis prouidendum est consilio, et alia quam preuidimus gradiendum uia. Caute inquam uobis, et nostris adquiescite |

**8ra**

[co]nsiliis. Cum res gesta sit, et quod factum est non fieri non possit, precipue prouidendum quatinus et Christianos actio lateat et quod ueremur non contingat. Quid multa? Asportandum est, inquam, corpus, et in aliquo longius a nobis loco exponendum ubi, si forte inueniatur, pro murthero, ut ita dicam, Christiani illud habeant. Cumque murtheri sermo circumcirca percrebuerit, non dubium est quin regie iustitiae exactores ad lucrandum uoluntarii ambiciosas aures falso facile adhibeant rumori. Tunc siquidem relata culpa in Christianos,

nos in posterum reddet securos". Cessante eo itaque loqui placuit sermo uniuersis et propositum sub fine consilium. Nec mora; corpus rapitur et in secretiori quo libuit loco delatum diligentissime interdum occultitur, ut occulte cum negotii exequendi se immerserit oportunitas efferatur. Dies ille dies absolutionis erat, quo totius episcopii cateruatim penitentiales ad matrem ecclesiam Norwicensem conuenire consueuerant, et totius tunc ciuitatis platee ambulantium plus solito frequen |

### 8rb

tabantur multitudine. Quare securum non stimabant si eo die facerent quod de corpore facere proposuerant. In crastinum ergo dilatatum est negotium, que dies scilicet foret eis ad ambulandum oportunior, et ad exeundum quo uellent ceteris multo securior.

### [vii.] Quomodo asportatus et in silua sit absconditus.

Illuxit dies crastina, que ubicumque Christiana floret religio crucis tunc adorande uenerabilis est sacramento. Hac quippe omnibus Christianis mos est plus solito gule parcendo ab omnibus delitiis et uoluptatibus abstinere et ecclesias sanctorum deuote circueundo piis orationum studiis diligentius insistere. Sub huius igitur lucis aurora a Deus-adiuuet et quodam alio, Iudeis ad id die hesterna preordinatis, beati Willelmi martyris corpus sacco inclusum effertur. Quibus cum corpore ciuitatem egressis et siluam de Torp iam subintranibus, obuius forte factus est burgensis quidam inter precipuos quidem Norwici et ditissimos annotatus, Aeluerdus scilicet cognomento Ded. Qui ea nocte uisitatis que in urbe |

### 8va

sunt ecclesiis tandem de sancta Maria Magdalene que infirmorum est sub memorata silua commanentium cum solo famulo secus extremos silue fines ad sanctum iturus Leonardum redibat. Quod diuina contigit dispensante gratia, et ut testis legitimus interueniret, et inuento postmodum corpore Christianos res gesta minime lateret. Eiluerdus itaque transeuntibus iudeis superueniens et iudeos quidem agnouit, sed quid alter eorum ante se super equi collum sic asportaret dubitauit. Porro dubitante eo et secum reuolvente quid negotii a transeuntibus tractaretur, quidque esse posset quod asportari uidebatur, siue quia die qua Iudei domibus egredi non consueuerant, et ipsi tunc longius egressi cernerentur, paulisper gradum continuit, et quo tenderent inquisiuit. Propius uero accedens et manus iniciens quod ferebatur dextera quidem tetigit et humanum esse corpus deprehendit. Illi uero, se deprehensos expauescentes et pre stupore nichil habentes quid dicerent, admissis equis transierunt et silue den |

### **8vb**

sitatem ingressi sunt. Qua d[e] re nimirum mali suspicio Eiluerdi mentem pulsauit, sed ad uiam quam pio deuotionis aggressus erat studio animum retorsit. Interea Iudei hispidam ac dumosam silue subeuntes densitatem corpus elatum arbori linea cordella suspenderunt, eoque ibi relicto domum altera regressi sunt uia. Quibus, non modico terrore percussis et ad omnes occursus nouum parturientibus horrorem, id estimo contigisse quod ualde timidis et alicuius culpe sibi consciis solet euenire. Qui etenim huiusmodi sunt omnes occursus suspectos habent, ubique adesse insidias putant, truncos eciam et lapides eminus uisos homines estimant. Quid multa? Regressi Iudei infortunium quod ex itinere sibi contigerat ceteris enarrant.

[viii.] Quod datis centum marcis uicecomiti a timore liberate sunt.

Animo plurimum consternati Christiani nominis hostes quid faciant prorsus ignorant. Spe siquidem destituti, dum alius sic et alius aliter de salute communi deliberant, ad iohannem tandem uice |

**9ra**

[comite]m, solitum sibi asilum, tanquam ad unicum et singulare presidium festinare decernunt. Omnium itaque consilio actum est ut quidam qui ceteros auctoritate preminebant et potentia ad ipsum euntes ita cum ipso agerent quatinus eius fulti patrocínio postmodum nil timerent. Vadunt illi, castelli munitionem subeunt, et presentie uicecomitis admittuntur. Cui se maximum quoddam habere secretum aiunt, quod illi soli secretius communicare uelint. Nec mora, amotis omnibus qui aderant, iubet iohannes ut uelle suum protinus edicant. Et illi: "Ecce in magna perturbatione positi sumus, de qua si ope uestra liberemur centum uobis marcas promittimus." Marcarum ille numero delectatus promittit se et secretum celare eis que opem suam pro uiribus in aliquo non defuturam. Reuelato itaque secreti tanti negotio confestim Aeiluerdus accersitur. Qui ubi aduenit, iubente statim immo et cogente uicecomite, uelit nolit fide et iuramento constrictus est quod Iudeos super uisis non infama |

**9rb**

ret neque uisa uita comite, uel saltem usque ad extremum uite sue diem, detegeret. Diuine uero gratie dispensatio nequaquam semper tegi uoluit quod in laudem egregii martyris sui et gloriam, quodque ad iterandam passionis sue memoriam in proximo postmodum multipliciter reuelandum disposuit. Euolutis

etenim annis quinque idem Aeiluerdus infirmitate correptus ad extremum deductus est. Sub ultima uero exitus sui hora ab ipso sacro puero Willelmo, iam tunc per totam circumquaue prouintiam crebris miraculorum uirtutibus clarescente, per uisum ammonitus est ut que uiderat quibus uellet reuelandum non negligeret. Euocatis ita ad se quibusdam quos tanti secreti reuelatione dignos estimabat, Wichemanno scilicet monacho cui in consulendis penitentibus suas episcopus uices commiserate et ...<sup>6</sup> presbitero de sancto Nicholao, tandem moriens atque inter ultima laborans uerba iuxta memorati martyris preceptum quod de ipso uiderat ac postmodum |

### 9va

pro certo cognouerat eis ex ordine protestatus est. Quod ego Thomas monachus Norwicensis, eisdem referentibus audiens et reuera uerum esse cognoscens, scripto tradere curauit, quoniam tante ueritatis argumentum pretereundum siue silentio tegendum non duxi.

[ix.] Qualiter super corpus eius lux de celo fulsit in modum ignee scale.

His intra urbem gestis, ipsa eadem die, feria sexta scilicet ante resurrectionis dominice pascha, diuina gratia que seruis suis nusquam absens est circa corpus gloriosi martyris in nemore iacentis gloriosa dignata est pietatis sue ostendere inditia. Circa eiusdem etenim diei uesperam ignea de celo desuper lux subito emicuit, que usque ad memorati corporis locum tractim se porrigens oculis plurimorum diuersis existentium locis effulsit. Vidit quippe illam Henricus de Sprowestune, Ebrardi episcopi olim stabularius, in domus sue hostio cum tota

---

<sup>6</sup> blank space left here by scribe

stans familia; uidit quoque et domina Legarda Willelmi Apuli quondam uxor cum suis, que pro dei amore apud sanctam Mariam |

### 9vb

Magdalenam manet [infirmis] seruiens talibusque obsequiis anime sue salutem mendicans. Sed et eiusdem loci infirmi nocte ipsa medio noctis silentio ad *nocturnale*<sup>7</sup> surgentes offitium, memorata premonstrante Legarda, lucis eiusdem uidere fulgorem. Nonnulli quoque eorum aiunt splendorem illum etiam mane sacri scilicet sabbati ante solis ortum suis apparuisse conspectibus. Videbatur autem lux illa in duos diuisa radios scale longissime tenere formam ab imo se in altum porrigentis ad orientem. Quia, sicut qui primi corpus sub diuo silua iacens inuenerunt testati sunt, alterum radiorum ad capud atque alterum ad pedes usque porrigebatur. Quid autem aliud fidelibus suis gratia diuina in hoc designare uoluit, nisi quia cunctis patenti inditio notificare curauit quanti meriti esset quem signis celestibus adeo glorificaret? In scale quippe forma ascensus innuitur ad gloriam, in splendore uero lucis meritum denotatur ad coronam.

[x.] *Quomodo et a quibus sit inuentus.*

Paschali quippe illucescente

### 10ra

[s]abbato monialis illa de qua paulo ante memini Legarda de tam mire lucis uisione ualde sollicita, assumptis quibusdam secum cohabitantibus, mane ante solis ortum ad aspectum luminis iter arripit, quid sit scire uolens quod talibus indiciis dominus declarare uelit. Gradiens uero corporis oculos exterius figebat in lumine, sed pie deuotionis lumen interius radiabat in mente. Ibat mulier

---

<sup>7</sup> italics=correction



deuote deo supplicans ut ad uise lucis locum recto itinere gressum eius dirigat, latensque ibi sacramentum sibi manifestius ostendat. Nec mora, diuine miserationis ductu per hispidam arbusculorum densitatem eo cum suis uenire meruit ubi egregium illum thesaurum reuera meritorum diuiciis affluentem inuenit. Intuens uero eminus ad radicem quercus iacentem puerum, tunicatum, calciatum, capite rasum, et puncturis innumeris aporiatum: sed femineo correpta timore statim propius accedere non presumpsit. Dumque intenta cordis acie iacentis contemplaretur qualitatem, |

### 10rb

duos aspexit super illum coruos, qui coruine uoracitatis rabiem explere gestientes rostro eum discerpere certatim attemptabant, sed nullatenus tangere neque se sustinere ualentes, hinc et inde a latere cadebant. Sed et iterum atque iterum id ipsum alternis uicibus attemptantes, nec in aliquo preuallentes, deorsum a latere assidue ruebant. Et reuera, sicut reor, bestiali sensualitate cadauer credebant sibi fortuitu esse oblatum, quod suis laniandum rorstris more solito foret permissum. Quem uero prouidentia diuina illesum et incorruptum seruare preuiderat, auibus et feris intactum esse uolebat. Videns denique mulier mira ac ualde stupenda que circa corpus iacentis mirifice gerebantur, plurimi quidem esse meriti iacentem agnouit, qui et coruis intactus et celesti lumine declaratus plurimorum uisibus apparuit. Nec mora, uirili resumpto animo propius accessit, coruos expulit, et oratione facta illum conseruatori suo commendans cum sodalibus domum gratulabunda regreditur. |

### 10va

[xi.] *Item inuentio altera.*

Eodem quoque sabbato post solis ortum prefatus de Sprowestune Henricus, quia forestarius erat, ascenso equo perscrutandi gratia siluam intrauit, si forte quempiam inuenire potuisset qui aliquid sine licentia cedendo silue dampnum inferret. Eoque siue fortuna siue uoluntas, quod magis credo, diuina gradientis animum trahebat quo chorusce lucis radiasse radios hesterna die perspexerat. Dumque huc et illuc ea parte silue graderetur, subito hominem cedentem<sup>8</sup> repperit, qui se ibi in proximo puerum occisum inuenisse dixit. Vadens itaque illuc duce rustico Henricus puerum quidem repperit, sed quis uel unde esset non agnouit. Cumque eum intentius consideraret, si forte cognosci potuisset, deprehendit uulneratum, ligneumque uidit in ore tormentum. Inusitatis uero attrectatum penis conspiciens ex ipso penarum modo suspicari nimirum iam cepit, quoniam non Christianus sed reuera iudeus fuerit qui eiusmodi inno-

**10vb**

centem tam temerario ausu mactare presumpsit. Porro locum diligenter intuitus, celique regionem denotans, pro certo cognouit quoniam isdem locus esset quo lucis hesterne radios choruscasse et in altum porrigi conspexisset. Quid ergo? His nimirum cum multa admiratione contemplatis regreditur Henricus, et que uisu cognouerat uniuersa uxori ac familiae<sup>9</sup> enarrat. Euocato denique presbitero, cuiusdam innocentis corpus crudelissimis attrectatum modis silua expositum denuntiat ac repertum, quod et inde plurimum cupiat auferre atque in cimiterio ecclesie de Sprowestuna, si ipse consulat, sepelire. Dumque circa huiusmodi sollicitius deliberant actionem, ad id uentum est consilii, ut quia paschalis

---

<sup>8</sup> ccoe  
<sup>9</sup> ccoe

crastino imminebat sollennitas dispositionis sue propositum in diem tertium differant, quo deuotionis sue affectum ad effectum congruentius perducant.

[xii.] *Qualiter in nemore sepultus sit.*

Differtur itaque sepeliendi negotium: sed interim his atque illis ad alios et alios rei *ormam referentibus, huiuscemodi rumor*<sup>10</sup> | **11ra** [ci] *rcumquaque personuit, urbemque ingrediens audientium pectora plurimo stupore concussit.*<sup>11</sup> Concutitur nouo tumultu ciuitas, replentur tumultuantibus platee; iamque a quamplurimis non nisi iudeos eo maxime tempore talia gessisse asseritur. Stabant siquidem nonnulli tanquam de noua et re insolita attoniti; discurrebant plurimi sed maxime pueri ac iuuenes, et diuino eos trahente nutu, uisendi gratia ad siluam cateruatim properabant. Querunt siquidem et inueniunt, penarumque signis in eo deprehensis, ac rei geste modo diligentius considerato, eius rei reatu Iudeos non immunes quidam autumant; nonnulli uero quodam reuera presagio impulsi sic esse affirmant. Regredientibus illis, qui domi remanserant globatim accurrunt, remque ut erat audientes uidere properant et id ipsum ceteris testificantur dum redeunt. Ita itaque toto sabbato totoque paschali die eundi ac redeundi alternatis et frequentatis uicibus undique ciuitas circa huiusmodi tota detinetur, singulique super |

**11rb**

tam insolite rei euentu non sine admiratione sollicitantur.<sup>12</sup> Vnde pii feruoris zelus in Iudeorum exitium uniuersos incitabat; iam iamque manus iniecissent

<sup>10</sup> added in contemporary hand below last line of column two

<sup>11</sup> ccoe

<sup>12</sup> ccoe

nisi uicecomitis Iohannis timore repressi ad tempus siluissent. Dumque intra urbem per biduum huiuscemodi res gereretur, memoratus de Sprowestuna Henricus cum uxore et familia post dominicum pascha feria secunda propositum executurus, circa horam diei primam properat quo inclita illa martiris egregii gleba adhuc sub diuo iacebat. Nactus uero cum suis locum, diuino ut reor instinctu permonitus, aliter quam disposuerat faciendum adiudicauit, quoniam sine episcopi licentia propositum exequi pertimescebat. Deliberatio utique usus consilio, cum quanta reuerentia potuit corpus eo quo inuentum est loco tumulauit. Sed nec silendum iudico quia, dum tumultantium baiularetur manibus, subito tanti odoris fragrantia naribus se infuderit assistentium, ceu multa inibi herbarum ac florum redolentium redundaret affluentia. |

#### **11va**

Neque sine diuina dispositione actum esse reor ut ibi eum tumulari contingeret unde ad maiorem uenerationem libere postmodum transferretur, ac licet translatum plurimis tamen uirtutum insigniis ibidem eum clarescere diuina gratia uoluisset.

[xiii.] **Qualiter Godwinus presbiter an ipse sit scire studuerit.**

**T**umulato siquidem incliti martiris corpore, per quosdam eius quondam consocios puerum Willelmum qui Iudeos diebus preteritis frequentare solebat ipsum esse fama promulgauit, tandemque ad aures Godwini presbiteri cognomento Sturt, qui materteram eius habebat, eius rei noticia peruenit. Quod ubi per consocios eius pro certo didicit, cum filio suo<sup>13</sup> Alexandro tunc diacono et Roberto fratre martiris<sup>14</sup> die sequenti illuc pergere curauit, primo quidem ut si

---

<sup>13</sup> ccoe

ipse esset certius cognosceret, cognitoque exequiarum obsequium deinceps exhiberet. Verum quia cognosci non poterat nisi superposita tellus exponeretur, fodiendum statuerunt. Fodientibus itaque illis et terram exponentibus |

### 11vb

cum iam corpori proximare[nt] subito contra *faciem eius*<sup>15</sup> aperte uisa est terra uelut forti quodam impetu de infra sulleuari, et sulleuata quasi repelli. Quo uiso, confestim horror non modicus ac stupor pectora peruasit fodientium; unde retro cedentes ab incepto destiterunt. Sed reuocante eos presbitero cum sanguine resumpserunt animum, atque opus denuo aggrediuntur intermissum. Dumque simili secundo ut prius modo contingeret, uidebatur nimirum eis quia nondum mortuus sed uiuus esset. Vnde presbiter exclamans festinare precipit, quoniam et adhuc uiuentem inuenire credit. Illis itaque certatim properantibus cum iam palmis corpus tangerent, excusso puluere facies discooperitur, et quis fuerit plane dinoscitur. Cognoscit frater fratrem et amici agnoscunt amicum. Fratrem frater luget mortuum; amici plangunt occisum. Qui quo amplius uiuentem dilexerant, eo et amplius occiso condolent. Dumque propius accederent, uehementer admi |

### 12ra

a]ntur quod quamuis tot dies a die qua mortis eius suspicabantur iam pertransissent, nil in eo prorsus mali odoris sentiretur.<sup>16</sup> Id autem maiori dignum admiratione ibidem tunc contigisse compertum est, quod scilicet ubi nullus flos nullaque odorifera creuerat uel aderat herba, ibi naribus assistentium

---

<sup>14</sup> ccoe

<sup>15</sup> ccoe

<sup>16</sup> ccoe

uernalis florum herbarumque redolentium aspirabat fragrantia. Quid multa?  
Exequiis tandem celebratis, terram effossam et expositam loco suo denuo  
reposuerunt, deoque corpus et animam commendantes regressi sunt.

[xiv.] De presagio uisionis matertere illius.

Ueniens domum Godwinus presbiter uxori sue Livive, que pueri quidem  
matertera fuerat, rem ut gesta est enarrat. Illa statim complosis palmis in  
maximum prorumpens eiulatum: "Verum est," inquit, "et nimis reuera uerum  
sompnium meum, quod sabbato ante pascha florum uidisse me contigit, quo  
dominus certissimam euentus huius ueritatem mihi licet ignare dignanter  
preostendere |

**12rb**

curauit. Videbam etenim in uisu noctis et ecce mihi forte existenti in media fori  
platea, subito iudei undique accurrunt, accurrentes fugientem circumueniunt,  
circumuentam comprehendunt.<sup>17</sup> Comprehense uero mihi, crux dextrum<sup>18</sup>  
fuste confractum et de reliquo corporis auellere et confestim transfugientes illud  
secum uidebantur asportare. O nimis uera ueri sompnii presagia! O me reuera  
felicem, si non uera sompnia sompniassem, et te quidem, domine mi, mihi hoc  
ipsum sompnium ad tuam audientiam referenti<sup>19</sup> dixisse recordor quoniam de  
amicis quempiam me nouiter contingeret per iudeos amittere, quem plurimum  
pre ceteris me constaret dilexisse! Ecce quod predixisti iam sentio; ecce  
quemadmodum ad futurum prenuntiasti haud aliter contigisse ingemisco." Vix  
dicta compleuerat, et medullas frigus inuasit, uultus expalluit, mens cum

---

<sup>17</sup> source?

<sup>18</sup> ccoe

<sup>19</sup> ms unclear: referent or referenti?

sanguine fugit, et tanquam exanimis inter astantium manus humi dilapsa concidit.<sup>20</sup> Post modicum resumptis |

### 12va

cum sanguine uiribus exurgit mulier, et confestim nepotem quem plurimum dilexerat in fletum erumpens deplorat. Ab illo nempe die usque in multum tempus a planctu reuocari uix potuit, quoniam ipsum plangebat quem precordialiter ac tenere diligebat.

### [xv.] De planctu matris.

Eisdem quoque diebus fama diuulgante, ad aures matris de filii nece sermo peruenit, que nimirum tam flebili concussa nuncio, statim tanquam exanimis corruit. Post paululum uero resumptis uiribus surrexit, nullamque faciens dilationem, Norwicum rei ueritatem quesitura properauit. Vbi autem multorum relatu filium mortuum et in silua cognouit sepultum, continuo discerptis crinibus, palmisque in inuicem crebro connexis, flens et eiulans per plateas tanquam amens cursitabat. Tandemque ad domum sororis de qua paulo ante meminimus ueniens, tum a Godwino presbitero tum a sorore |

### 12vb

modum rei sciscitans et [ue]ritatem, nichil aliud nosse pro certo potuit, nisi quia insolito more<sup>21</sup> occisus fuerit. Verunptamen ex multis et uerisimilibus coniecturarum conici argumentis cognouit quoniam non Christiani sed iudei reuera essent, qui rem huiusmodi patrare ausi fuissent. Quibus illa facilitate muliebri fidem facile adhibuit; unde et statim in contumeliam Iudeorum uerbo, conuitiis ac lite palam prorupit. Hinc nimirum ceu mater materno pietatis

<sup>20</sup> Familiar image. Is this in Hegessipus?

<sup>21</sup> ccoe

tangebatur affectu; inde tanquam mulier muliebri ac temerario ferebatur ausu. Porro quicquid animo suspicabatur iam pro certo habens, quodque ymaginabatur quasi uisu compertum asserens, facto per uicos et plateas discursu et materno compulsa dolore uniuersos horrendis sollicitabat clamoribus iudeosque filium dolo seductum sibi surripuisse protestabatur et occidisse. Que res maxime in suspensionem ueri uniuersorum conuertit |

### 13ra

[ani]mos, unde et omnium acclamabatur uocibus omnes radicitus debere destrui iudeos tanquam Christiani nominis et cultus semper aduersarios.

[xvi.] *Quomodo in sinodo presbiter Godwinus de Iudeis conquestus est, eosque de morte Willelmi pueri reos esse per iudicium probare se optulit.*

**E**uolutis autem aliquot diebus, dies synodalis aderat, et de more pontifex Ebrardus sinodo presidebat. Sermone tandem celebrato, surgit e medio memoratus presbiter Godwinus lugubrem et presentibus seculis inauditam auribus episcopi et confratrum sacerdotum depositurus querimoniam. Indicto itaque omnibus silentio, in hunc modum exorsus est: 'Domine, pater, et presul uenerande, tua hactenus et utinam in eternum famosa dignetur pietas sue benignitatis aures nostris inclinare querulis sermonibus. Dignetur quoque confratrum et consacerdotum sacer conuentus quem presenti sinodo assistere conspicio querulos querele nostre non modice uel ad modicum aure patienti |

### 13rb

percipere sonos. Nempe non propriam tantum siue domesticam executurus causam accessi quantum et communem omnium Christianorum declarare proposui factam nouiter contumeliam. Igitur non ignotum reor paternitati



uestre, presul reuerende, nec latere estimo plurimos ex uobis, fratres karissimi, puerum quendam admodum paruulum et utique innocentem dominice passionis ebdomada miserabilibus attrectatum modis silua repertum fuisse, atque ibidem tumulatum Christiana adhuc caruisse sepultura. Hic siquidem filiorum meorum consobrinus fuit, et interueniente huiuscemodi<sup>22</sup> familiaritatis gratia a me plurimum dilectus extitit. Vnde super eius nece dum apud pietatis uestre benignitatem in presentiarum conqueror, uix a lacrimis lumina continere preualeo. Huius autem tam execrabili necis reatu omnes in primis Christianos tanquam immunes excuso: uerum secundo iudeos Christiani nominis hostes huius rei utique reos et |

### 13va

sanguinis innocentis effusores accuso;<sup>23</sup> tercio dictorum assertionem qua hora, quo loco, quo ue libuerit Christiane legis iudicio probaturus accedo. Nec quisquam me in presenti negotio precipitem estimet uel ineptum, quoniam nisi propositae rei ueritate certior existerem, nequaquam ad promissae probationis executionem adeo constanter accessissem. Atque id ita esse uos ipsi conicere potestis, tum ex dierum quibus tale quid a iudeis fieri debuerit habitudine, tum ex puniendi modo et uulnerum qualitate, tum ex multimoda rerum sibi inuicem respondentium congruentia.' His quoque et aliis quampluribus euidentissimis argumentorum probationibus accedat et Leuiua, eius de quo agimus matertera, cum efficacissimo uisionis sue presagio: accedat et flebilis mater, que uersutissimi iudeorum nuntii fraudibus dolosis et se circumuentam ac seductam filiumque abductum deplorat. Hec itaque cum ita pro certo se habeant, meaue |

---

<sup>22</sup> ms: huiuscemode

<sup>23</sup> cf. Glossa Ordinaria

**13vb**

res agitur paries cum [pro]ximus ardet,<sup>24</sup> ad nos tanquam ad unicum et  
 singulare mihi presidium presentem depositurus querimoniam eo fiducialius  
 recurro quo uos a iuris uel equi legibus nequaquam exorbitaturos mente certiori  
 concipio. His ita presbiter peroratis finem dictis imponens siluit, et episcopale  
 super hoc responsum arrectis auribus, oculis in terram defixis, et mente suspensa  
 expectauit. Turbatis itaque et attonitis super hac re uniuersis, presulem hinc  
 atrocitate facti commotum, inde iusticie zelo succensum, presbitero in hunc  
 modum respondisse aiunt: 'Quoniam que tu certa asseris nobis adhuc incerta  
 esse liquet, profecto tamen ad certam huius rei consequendam notitiam elaborare  
 curabimus. Et si quando ut astruis ita esse constiterit, pro certo teneas quod  
 iusticie nostre rigor nullatenus exorbitabit. Veruntamen, quoniam absentes et  
 inauditos iustum iudicem iudicare non congruit, crastino iudei euocentur,  
 audiantur, |

**14ra**

[conui]ncantur, et conuicti pro meritis debitam sortiantur penam. Presentis  
 itaque, negotii sermone ita in crastinum translato et que ad synodum pertinebant  
 ea die in parte pertractatis, omnes mane denuo reuersuri dicesserunt. Eadem  
 uero die iussu presulis decanus Norwicensis iudeos conuenit, atque ut in crastino  
 coram pontifice super tanta re synodo responsuri assisterent indixit. Quid ergo?  
 Turbantur iudei, et ad uicecomitem Iohannem tanquam ad singulare asyllum  
 opem et consilium in tam difficili causa quesituri unanimiter recurrunt: cuius

---

<sup>24</sup> Horace, ' Num tua res agitur paries cum proximus ardet', [When your neighbor's wall is on fire, it becomes your business.]

freti patrociniis multa multociens pericula euaserunt. Inito itaque consilio Iohannes, utpote *quem rei ueritas*<sup>25</sup> non latebat, iudeos ad synodum crastinam uenire non permisit, immo per suos presuli nil ad ipsum de iudeis pertinere neque iudeos rege absente super talibus Christianorum nugis responsuros mandauit. Presul uero tali percepto nuntio presbiteroque |

#### **14rb**

sub plena synodo hesternam iterare uolente querimoniam, domnum Aimarum priorem de sancto pancratio aliosque eruditissimos et prudentissimos uiros quos illi synodo interesse tunc contigerat, quid super huiusmodi sibi uideatur responso interrogat. Qui unanimes deo legique Christiane apertam inferri uiolentiam dicunt, eamque ecclesiastice rigore iusticie maturius coercendam esse consulunt. Inter hec autem pontifex, nec preceps uideri uolens, nec iusticie animum subtrahens, memoratos Christi aduersarios secundo adhuc et tercio submonendos iudicat, ne nimia sententie acceleratio aut modum preueniat aut solitum consuetudinis limitem excedat. Vti autem decreuerat episcopus, decanus exequi non distulit. Sed iudei uenire dum renuunt peracta synodo uiros sapientissimos presul consulit quid contra rem huiusmodi faciendum sit. Communi itaque actum est consilio Iohanni quidem ut suggeratur ne iudeos contra deum manute |

#### **14va**

neat iudeis uero ut peremptoria proponatur sententia, quod ni citius purgandi ueniant se proculdubio exterminandos esse cognoscant. Quibus nimirum compulsus sermonibus Iohannes remota dilatione cum iudeis aduenit, et quid

---

<sup>25</sup> ccoe

contra ipsos dicatur auditurus, coram pontifice fremebundus assistit. Nec mora, surgit presbiter sepedictus pretaxatam replicans querimoniam, et que protestatus est uerbo confestim se probaturum pollicitus est dei iudicio. Consilio autem uicecomitis iudei impositum sibi crimen abnegant, sed super propositi probatione iudicii quid uelint indutias deliberandi uel minimas rogant. Renitente autem presbitero, omnemque prorsus dilationis inficiante moram, assensu episcopi super eo secretius locuturi ad consilium procedunt. Consulitur uicecomes quid sub tanto discrimine sibi restet agendum, quoniam et hinc induciarum dilationem sibi denegari<sup>26</sup> cernunt, et inde iudicii examinationem omnino pertimescunt. |

#### 14vb

Plurimis autem serm[onibus] salubris diuortii perquirentes uiam, singulisque rebus proportionaliter pertractatis, non aliud securum tanti discriminis repperiunt effugium nisi solum indutiarum et dilationis emolumentum. Quas si habere contingat, uenalem regis gratiam argumenti copia extorqueri leuiter sperant, quo sibi obiecti sermonem criminis funditus extinguant. Porro circa huiusmodi consilium plurima diei parte consumpta e consilio ad episcopum mittitur, ut postulate scilicet indutie quoquomodo concedantur. Quibus nequaquam impetratis iratus uicecomes cum iudeis non requisita licentia abeundi, ut mos est, abcessit. Illos uero quia extra manere eis tutum non erat, intra castelli tutatus est munitionem donec pace regio illis edicto indicta et corroborata securi inposterum redderentur et quieti. Quod ubi episcopo ceterisque qui cum ipso prestolabantur eos abisse renuntiatum est, quoniam regi

---

<sup>26</sup> ccoe

regiisue ministris aperte obuiare uerebatur, ad horam quidem episcopus siluit,  
sermo |

### 15ra

nemque intermissum nonnumquam retractandum succedentium temporum  
oportunitati reseruauit.

[xvii.] Quomodo Aimarus prior sancti Pancratii corpus sancti martiris secum  
transf[er]endi<sup>27</sup> licentiam petierit.

Aimarus autem memoratus prior de sancto Pancratio uisis et auditis que fiebant  
et annotatis, mentis interna tactus deuotione, presbiterum seorsum traxit, a quo  
rem gestam quantum *ipsum*<sup>28</sup> scire licuit plenius ac diligentius sciscitari curauit.  
Vbi uero mortis modum tum per tormenti qualitatem tum per plagarum signa  
cognouit et numerum, quid aliud inter hec nimirum perpenderet, nisi quia  
sanctissimus ille puer in obprobrium Christi a iudeis reuera occisus fuisset?  
Vnde et quodam interne pietatis feruore ductus, ad episcopum confestim  
accessit, atque ut memorati pueri corpus secum transferre liceat multa precum  
instantia postulare studuit. Quod ubi impetrare non preualuit, respondisse  
fertur quia si eum apud Sanctum Pancratium teneri contigisset, nulla argenti uel  
auri commutatione ipsum alias asporta |

### 15rb

ri sineret, sed digne pro meritis exaltatum plurimoque uenerationis cultu  
celebrem tanquam thesaurum preciosissimum summa custodiret diligentia. Que  
prioris uerba pontificis Ebrardi adeo commouerunt animum, ut et ei uenerationis  
fierent argumentum atque erga puerum sanctum deuotionis ministrarent

---

<sup>27</sup> ms: transfendi  
<sup>28</sup> ccoe

incrementum. Qua de re compulsus et plurimorum animatus consilio, beatissimi pueri corpus ad episcopalem ecclesiam afferri et in cimiterio monachorum disposuit tumulari.

[xviii.] *Quomodo allatus et lotus incorruptus inuentus sit.*

Quosdam igitur de monachis cum quibusdam de clero ad ipsum afferendum episcopus elegit et electos die viii<sup>o</sup> kalendis Maii ad id quod disposuerat exequendum direxit. Quibus precepta explentibus et iam redeuntibus tanta popularis multitudinis occurrit affluentia, quod perpaucos intra urbem remansisse estimares. Allatus est itaque thesaurus ille preciosus ac desiderabilis |

#### 15va

cum maximo cleri plebisque tripudio, atque a uenerabili monachorum conuentu processionaliter susceptus, sedisque episcopalis ecclesia introductus, ante sancte crucis altare cum feretro reponitur. Erat quippe feretrum pallio festiuo coopertum et hinc atque inde candelabra quadrangulariter apposita cereis relucebant ardentibus. A monachis missa pro requie fidelium solenniter cantabatur, turbisque ciuium tota sursum ac deorsum replebatur ecclesia. Celebrata denique missa ex deliberationis industria inter pulpitem et chorum reponitur monachorum, ne scilicet populi ad feretrum deosculandum, immo ad corpus si liceat inuisendum irrumpere uolentis insistens turba fratribus debitum funeri obsequium lauando exhibentibus impedimento magis foret quam auxilio. Tanto enim interesse spectaculo summa erat leticia, e proximo stare felicitas. Quid plura? Eliguntur nonnulli de fratribus qui corpus lauent, lotum alba lintheisque benedictis inuoluant, et inuo |

#### 15vb

lutum itidem ut prius feretro componant. Qui ergo ad iniunctum conuenerant ministerium, corpus tunica denudant, pedibus calciamenta tollunt; ipsumque ex more mortuorum ad lauandum preparant. Dumque lauaretur, id miri contigit immo miris omnibus plus admirandum. Cum et enim iam XXX<sup>ta</sup> ii a die mortis eius pertransissent dies, integer inuentus est, et omnibus membris incorruptus. Inter baiulantium siquidem manus digitis, brachiis, ceterisque membris adeo flexibilis apparuit ut magis dormientem crederes quam mortuum estimares. Sed unde magis admiremini contigit, quia dum facies lauaretur, recens subito sanguis e naribus prorupit: unde nimirum assistentium cetus obstupuit. Sanguinem guttatim profluentem qui ministerio assistebant lintheaminibus excipiunt, quo cessante denuo faciem lauantes abstergunt. Qui uero tam admirabili affuere spectaculo nobis postmodum attestati sunt quoniam et dum lauaretur ac maxime |

### 16ra

dum sanguis proflueret, tam miri odoris naribus eorum aspersa est flagrantia, ut ipsa suauitas patenter daret intelligere auctorem suauitatis ad sancti corporis obsequium ueraciter aduenisse. Diuine porro presentie suauitas quid aliud nobis designare uoluit, nisi ut per hoc manifestius declararet quanti coram eo meriti in supernis existeret? Hoc quoque eorundem relatu didicimus, quod ab ipsis scilicet certa et manifesta in eo martyrii deprehensa sint indicia. Tum etenim capiti loto inter crebras spinarum punctiones lauando dum palmas sensim diducunt, quarundam earum que teste impressa inheserant spinarum offendunt capita. Inuenta extrahunt, et summo deuotionis studio dum licuit conseruare curauerunt. Tum quoque dum uniuersa singillatim uisu percurrunt membra corporis sancti, palmis profecto pedibus et latere euidentia deprehendunt signa

martyrii. Ex nonnullis preterea inditiis que sibi apparuerunt aqua feruentissima et bullienti perfusum com |

### 16rb

periunt. Corpore denique loto, alba illum ueste induunt, deinde lintheaminibus inuolutum feretro recomponunt. Interim dum hec agerentur, per totam urbem quo sanctissimum beati martyris conderetur corpus quesitum est sarcophagum, nec inuentum. In cimiterio igitur sub capituli pariete fossa effossa est ubi truncus et trunco imponeretur corpus. Dum autem foderetur, mirum dictu, sarcophagum sarcophago resupinatum inuenitur. Vtrumque intus mundum et candidum erat, quia nullius aliquando cadauer intromissum fuerat. Quod reuera idcirco pro miraculo habitum est, quoniam inter ecclesie primores primosque illius fundatores nec unus inuentus est qui eorum reminisceretur sarcophagorum, a quibus scilicet illuc allata uel quando ibi fuerint recondita. Id tamen consequenter conicimus, quod diuina prouidentia ea sancto Willelmo tam diu reseruauerat intacta et illibata.

### [xix.] De tumulatione eius in cimiterio monachorum.

His prout memorauimus consummatis, animeque commendatione ex more mortuorum peracta, cum psalmis et laudibus |

### 16va

preit processionaliter fratrum coentus; egregius uero martir in cimiterio interiori subsequitur tumulandus. Impletur cimiterium milibus hominum alio de latere per portam introeuntium et intrantibus uix loci iam sufficebat capacitas. Hinc monachi et clerus cum psalmodie laudibus celebres celebrabant exequias: inde laici cum maximo assistebant gaudio. Qui uero aderant, quamquam cultu



uel sexu forent dispaes, erant tamen singuli ad perspiciendum unanimitate conformes. Porro exequiis rite celebratis ac sepulchro in introitu cimiterii ex parte claustrum decenter composito, corpus beatissimi martiris feretro depositum intro componitur. Impositum siquidem sepulchro omnium oculis quibus tamen uidere licebat alba ut erat ueste inuolutum per aliquantum ore spacium conspici sinebatur. Quibus uero e proximo stare contigerat uelut quibusdam eorum postmodum cognoui referentibus pretaxatam contigit ibidem sensisse odoris suauitatem. Demum pro lamina, quia laminam non habebant, alterius sepulchri concaua medietas superponitur, lapisque |

### 16vb

lapidi cemento conglutinatur. Quibus expletis, dominum relinquens custodem, conuentus monachorum in ecclesiam psallendo regreditur; alii uero ad propria domini glorificando magnalia reuertuntur.

*Explicit liber primus.*

*Incipiunt capitula libri secundi.*

- [i.]            **R**esponsio in illos qui sanctitati eius derogant.
- [ii.]          **C**ommendatio innocentie et egregie sanctitatis eius.
- [iii.]         **D**e rosa que ad sepulchrum eius hiemis refluuit **tempore**.
- [iv.]         **D**e admirabili uisione cuiusdam egroti et ipsius cura.
- [v.]          **D**e consimili uisione cuiusdam puellule.
- [vi.]         **D**e pregnante mire liberata.
- [vii.]        **D**e uirgine quadam de Donewiz a demonis incubi infestatione liberata.
- [viii.]       **C**ommentorium illis qui miraculis sancti Willelmi derogant et

[ix.]            **P**rimum argumentum. **S**ecundum argumentum.

[x.]            **T**ercium argumentum. **Q**uartum argumentum.

[xi.]           **Q**uintum argumentum. **S**extum argumentum.

[xii.]          **S**eptimum argumentum. **C**onclusio.

[xiii]          **Q**ualiter iudeos tunc Norwicenses ultio diuina et christianicidas  
perculerit

qui eum a iudeis occisum uel negant uel dubitant.

[xiv.]          **A**ccusatio iudeorum in christianos et translatio criminis in eosdem.

[xv.]          **Q**ualiter et diuine ultionis iudicium circa Iohannem uicecomitem  
apparuit.

**Expliciunt capitula.**

**Incipit Liber secundus. |**

17ra [i.]

Superiori quidem libello prout credibilium relatu uirorum scire licuit beatissimi martyris Willelmi pueritiam pro modulo nostro exposuimus et mortem. Sed priusquam ad miracula eius accedamus et translationem, quorundam quos nescio malitia magis ducat an inuidia uerbose garrulitati obuiare libet. Quorum proteruam insolentiam et insolentem proteruiam quia diutius sustinere non possum, satyrico telo transfigere ac rationis compescere freno conabor. Ipsi sunt qui alienis gaudentes infortuniis applaudunt, aliorum semper profectibus marcescunt. Ad uituperandum prompti ac precipites, si maliloquii defuerit materia tristes. Ad detrahendum promptissimi, ad laudandum inuiti. Si quid uero forte in aliquibus paulo ante laudauerant, id ipsum modo in aliis conuerso lingue folio dampnant. Tanquam uirtus et uitium non rebus insint sed cum auctoribus mutantur. Ociosis latratibus aerem et lingue uerbere uerberantes<sup>29</sup> fatigant, et caninis morsibus aggredi probitatem soliti ac celestibus ingrati beneficiis di |

**17rb**

uina etiam in quantum preualent uel ausi sunt magnalia sub palliate uoto religionis adnullare uel imminuere siue saltem deprauare non nunquam conantur. Hoc itaque genus hominum diuine uirtutis omnipotentia uel dignis flagellis corripiat ut respiscant, siue nocendi potentiam tollat ne conualescentes

---

<sup>29</sup> ccoe

preualeant. Porro his et talibus, quibus reuera ueritas que deus est semper aduersatur, ueritatis succensus zelo nunquam aduersari desistam. Quorum temerariam insolentiam sub presentis pagine stadio expugnaturus et innocentiam defensurus accessi. Exprobrantes allophilos alter Daudid ex aduerso concurrens deturbare festino; rationum allegationes quosdam spirituales quasi lapides mentis pera defero. Vnus ergo pro ceteris Goliath exprobrans mecum congrediatur pro allophilis. Ecce iam rotante ac iacente labiorum funda limpidissimo uerbi lapide frontem irreuerentem conteram, et proprio lingue sue gladio pectora maliuola transfodiam. Quisquis itaque presumptionis nobis peccatum improperat, quique temeritate nos redarguit accedat, inquam, accedat et dicat, quod garrulizare |

### 17va

solebat. Aiebat enim: Presumptuosum nimis est quod uniuersalis ecclesia nonrecipit tam audacter suscipere et non sanctum pro sancto habere. Temerarium quoque uidetur tam magnifice uenerari in terris quem nec dum constat deum glorificasse in celis. Audiatur e contra quia sic durus obicit Allobroga cuius ingenii meatus rigoris lapidei duricies obstructos obsidet. Attendat etiam quoniam sic ferire soleat cecus, qui uel quid uel qua feriat non uidet. Si enim presumptionis redarguendi sunt qui sanctorum quos totus non nouit mundus seu quos uniuersaliter ecclesia non celebrat recolunt memoriam,

perpaucos uel nullos repperies qui non eandem incurrerint culpam. Et ut uerum fatear, preter gloriosam uirginem dei matrem et baptistam Iohannem atque apostolos, paucis sanctorum attribuitur quod ubique terrarum quibus christiani nominis floret religio ipsorum notitia propaletur. Nempe nunquid uniuersos quos ipsa recolit Roma, eosdem celebrandos Gallia suscepit atque Britannia? Nunquid illud celebre beatissimi regis et martyris Eadmundi gloriosique confessoris Cuthberti nomen in partibus Anglie uniuersis |

### 17vb

innotuit Grecie populis siue Palestine? Verum ut summatim concludam, quos Asia celebres habet uel Affrica, nunquid eosdem uniuersos uniuersa celebrare consueuit Europa? Si igitur ita, immo quia ita constat esse, qualiter presumptionis reatum incurrant, si quem uniuersaliter uel non nouit uel non recolit ecclesia digna ueneratione celebrant? Quod autem presumptionis esse inquirunt non sanctum scilicet pro sancto habere, et nos procul dubio id ipsum dicimus, atque id attestando in hoc eis assentimus. Sed quoniam ceteris que consequenter redarguimus maliuole intentionis id interseruit lingua ac de inuidie radice processit, mordaci uersutie obuiare respondendo nitimur. Audiant igitur qui caninum dentem simplicitati nostre imprimunt, qui gloriosissimi martyris Willelmi ledentes famam imminutione<sup>30</sup> quadam sanctitatis indebitam laudem laudisque promotionem pro posse suo supprimunt et miduendo persequuntur.

---

<sup>30</sup> ms: imnutione

*Audiant*,<sup>31</sup> inquam, audiant qui nos deliros autumant, rerumque ueritatem simplicitatis intuentes oculo glorie sanctorum detrahere amodo |

### 18ra

conquiescant. Nos equidem ut sanctum ueneramus quem nos reuera sanctum cognouimus, non autem non sanctum pro sancto habemus. Porro sanctitati eius de quo loquimur precedentis libri pagina testimonium perhibet manifestisque indiciis id ipsum subsequencia et cotidiana attestantur miracula. Que nisi nutu diuino fierent, tamdiu nequaquam perseuerassent. Quoniam que ex deo non sunt per se citius dispereunt. De cetero denique quod consequenter obiectum est, temerarium quidem esse tam magnifice scilicet uenerari quem necdum constat, ut aiunt, glorificari; queso respondeant qui simplicitatis ac pure conscientie gesta deprauare non cessant. Si uero respondere renuunt, *audiat*<sup>32</sup> benignorum diligentia quod audire refugit inuidorum uersuta maliuolentia. Respondeat, queso, respondeat calumpniator ille uersutus; quando in tercium celum raptus ascenderit, ut ei reuelarentur secreta celi et fieret alter Paulus, uel non impar Paulo? De tanta reuelatione sua, uel illud saltem nobis reuelet, quos in paradiso glorificatos conspexerit, uel quos perceperit exclusos. Quia uero lippis |

### 18rb

profecto patet et tonsoribus horum omnium nichil prorsus extitisse, qua fronte malignorum contumax audacia tam audacter presumpsit asserere quod nullatenus constiterit ipsam posse rescire? Itaque qui simplicitatis nostre deuotionem et deuotionis

---

<sup>31</sup> ccoe

<sup>32</sup> corrected from audiant

pium obsequium de presumptione uel temeritate redarguunt citius obmutescant, erroremque suum ac proprium presumptionis et temeritatis reatum recognoscant. Nunc tandem quia proteruis obtreccionibus ad plenum nos respondisse putamus, metamque prologi plenius respondendo excessimus a tramite narrationis longius<sup>33</sup> digressi, ad eundem renouatis calamis lingue pedem referamus.

[ii.] **Commendatio martirii innocentie uirginitatis et egregie sanctitatis eius.**

**C**um tuba nobis personet euangelica, nisi qui legitime certauerit neminem omnino coronari, procul dubio constat solis legitime certantibus celestis brauii coronam repromitti, et tamen pro meritis singulorum singulis retribui. Cumque in summi patrisfamilias domo mansiones multe sint, quid allud estimemus, nisi quia secundum diuersa diuersorum profecto merita diuersa eis mansionum assignentur et contubernia? Eminentioribus clauiger celi pre |

**18va**

idet Petrus cum consociis apostolis super thronos duodecim ad diiudicandum orbem considentibus. Mediorum uero ordinum loca prothomartyr et signifer optinet Stephanus cum *numero*<sup>34</sup> sanctorum martyrum exercitu qui contra tyrannos et christiani nominis hostes pro fide Christi tuenda fortiter dimicantes in tormentis effuso sanguine per mortem carnis transitoriam ad uitam migrauerunt sine fine mansuram. Ordine denique tercio succedit numerosa et felix illa sanctorum confessorum multiplicitas, qui uita religiosi, moribus ornati, uirtutibus pleni, meritorum effulsere radiis ac bene uiuendi formam mundo

---

<sup>33</sup> ccoe

<sup>34</sup> ccoe

relinquentes in pace ecclesie quieuerunt. Quid ergo? Vniuersaliter omnes qui supernis consistunt sedibus interminatis funguntur gaudiis, infinita conregnant gloria, et sicut sol in perpetuas refulgent eternitates. Ibi nempe uera sunt gaudia, ibi uita, pax, et quies coeterna; ibi quicquid bonum, et solius mali absentia. In qua nimirum inestimabili gloria agnum illum dominicum qui pascit inter lilia sequuntur uirginum chori quocumque ierit. Quibus solis ea |

### 19ra

priuilegii concessa est prerogatiua, quod soli illius excellentissime nouitatis concinunt canticum, quoniam puram et illibatam uirginitatis sue conseruantes stolam *domino*<sup>35</sup> purum munditie sue optulerunt celibatum. Quorum sacris gloriosum martyrem Willelmum reuera non diffidimus interesse collegiis, stola insignitum triplici, ac inter precipuos annumerandum. Nec immerito stole triplicis insignia promeruit, qui duas, innocentie *scilicet*<sup>36</sup> ac uirginitatis, quas habebat stolas, ut sibi terciam uindicaret, roseo martyrii sanguine rubricauit. Neque quispiam que dico his tanquam rebus suo tempore insuetis cordis aures et fidei diligentiam auertat, quoniam nisi que uel ipse uidi, siue diligenti indagacione a uiris credibilibus pro certo scire potui, omnino nichil presentibus scriptis commendare curauit. Nempe si rei ueritatem diligens simplicitatis superficie tenus saltem percurrat oculus, quid aliud uidens uidebit, aut attendens percipiet, nisi quod beati Willelmi pueritiam et innocentia saluat et uirginitatis munditia commendat? Et qui certis uulnerum indiciis, quisquis |

---

<sup>35</sup> ccoe

<sup>36</sup> ccoe



**19ra**

ea fecerit, quibusdam quasi argumentis reuera occisus comprobatur, adeo paruulus et innocens nullis precedentibus culpis necem promeruisse qualiter credatur? Aut que preciosarum uestium siue quarumlibet diuitiarum ad tam execrabile facinus admittendum trahere posset aliquem cupiditas, cum ipsum constet harum rerum prorsus habuisse nullas? Sed quomodocumque res gesta fuerit, id tamen pro certo tenemus quoniam durissimis attrectatus modis *tandem occisus sit*<sup>37</sup> atque ad dominum creatorem suum creatura innocens uirgo et martir ab hac luce migrauerit. Quod autem sanctus dici debeat, immo et sit, cotidianis circa sepulchrum eius contingentibus miraculis diuina protestatur gratia, qui ea ipsa temporibus nostris et misericorditer exhibere et quanti apud eum sit quem ita glorificat manifeste non dedignatur ostendere. Que scilicet miracula prout uidimus siue auditu cognouimus, ex pontificali precepto et conuentus Norwicensis rogatu, ego Thomas Monemutensis deo annuente scripto commendanda suscepi, et ne ipsa delere possit obliuio |

**19rb**

posteris studui reseruare temporibus.

[iii.] *De Rosa que ad sepulchrum eius tempore hiemis refluuit.*

Ad sanctitatis reuera inditium et meritorum eius declarandam excellentiam quiddam dominus fieri uoluit unde et consuetum nature ordinem commutauit.

Cum etenim quorundam monachorum pia deuotio ramusculum qui tempore

---

<sup>37</sup> ccoe

estiuo in claustro floribus roseis uernans iam effloruerat ad capud sepulchri sancti martyris eodem quo ibi tumulatus est anno circa festum sancti Michaelis transplantasset, continuo terre radicitus inhesit et reuiescentibus foliis paucis interiectis diebus non sine magna omnium admiratione reffloruit. Vniuersis uero floribus usque ad festum sancti Eadmundi *in*<sup>38</sup> ramusculo perseuerantibus, uehemens ymbrium et uentorum exorta tunc procella omnes preter unum excussit. Qui autem rubicundior et supereminetior ceteris preminebat, excussis reliquis in ramusculi cacumine, locum tenuit, atque per ymbres, uentos, niues et frigora brumalia non sine diuino conseruatus nutu, multis post diebus in ramusculo perdurauit. Quem |

#### 19va

nimirum florem plurimi admiratione ducti uidere curauerunt; ex quibus nonnulli se circa natale domini ipsum uidisse testati sunt. Perpendat igitur diuinum in hac re non defuisse operationis misterium quisquis beneficiis diuinis non ingratus esse consueuit. Et dum circa corpus beatissimi martiris Willelmi nature ordinem immutatum comperit, in testimonium martirii eius rosam uoluntate diuina sic effloruisse existimet, et dominum in sanctis suis mirificum collaudet.

#### [iv.] De admirabili uisione cuiusdam egroti et de eius cura.

Aliud quoque eodem anno contigit miraculum, in quo quid aliud diuina nobis bonitas designare uoluit, nisi quia et in celis multe sit excellentie beatissimus puer et martyr Willelmus, plurimaque in terris ueneratione condignus? Erat

---

<sup>38</sup> cc above the line

enim homo quidam Lewinus nomine in uilla que apellatur Welle, que sita in palustribus Hely aquis undique a continenti intercluditur. Is cum diuturna egrotasset ualitudine, totoque inbecillis corpore iaceret, sui omnes qui aderant de salute ipsius omnino |

### 19vb

diffidebant. Aderant tunc pa[s]chalis temporis dies, quibus ingrauescente tandem morbi angustia et discurrente per singulos artus prenuntia mortis frigiditate, anelitus intercipitur, pulsus attenuatur, et languentibus iam palpebris res ad extremum duci uidebatur. Alternatis uero uicibus nunc pallidus et interdum apparebat rubicundus. Vnde quidam assistentium cum pallidum cernerent, mortuum estimantes ad funeris se preparabant exequias. Qui uero interfuerant astutiores, maxime quia et rubicundum quandoque uiderent, necdum emortuum esse credentes, donec certiores inde fierent conseruandum adiudicabant. Quibus denique tanquam prudentioribus acquiescunt ceteri, eumque in diem terciū studuerunt conseruari. Porro inter hec eger in extasim raptus et ab angelo, uelut ipse postea testatus est, assumptus, per loca diuersa tum horribilia tum amena deducitur. In illis innumerabilem turbam diuersis cruciari penis conspicit, in quibus et nonnullos quos in uita cognouerat recog |

### 20ra

noscit. Qui eo uiso ac cognito, familiaria quedam et secreta ei tradentes intersigna quibusdam suorum uitali luce adhuc fruentibus per ipsum mandando notificant, eosdem illis preparatos cruciatus nisi ab his et ab illis penitentes

desistant criminibus. Quibus uisis inde abducitur et penalia atque horroris plena transgrediens loca, amenissimam et florigeram duce angelo ingreditur regionem. Quam pertransiens innumeram ibi hominum multitudinem in glorie inestimabilis gaudio positam cernit, et inde per uiam diuersis constratam floribus digrediens ante sedentem in throno dominum tandem adductus consistit. Intolerabili uero splendore lucis perterritus, primo dirigit, sed animante angelo animum resumens, excusso timore securius pedem fixit. Atque in illo chorusce lucis fulgore defixo<sup>39</sup> intuitu<sup>40</sup> uidet dominum dominatorem uniuersorum throno sedentem aureo, lapidibus preciosis exornato, et ante eum sanctorum milia. Videt quoque a dextris in maiestate sedentis domini beatam et gloriosam assidentem uirginem Mariam |

## 20rb

et ad pedes dominice maiestatis puerum conspicit quasi duodennem scabello residentem aureo. Cuius habitus niue candidior, cuius uultus sole splendidior, et in capite eius fulgebat corona aurea preciosissimis undique insignita lapidibus. Cui pariter congratulabantur sanctorum chori eumque maxime uenerabantur ordines angelici. Quibus uisis plurimum admirans Lewinus duci angelo ait: 'Quis est hic, domine, ad pedes domini scabello residens, cui tanti ab uniuersis impenduntur honores?' Cui angelus: 'Hic est', inquit, 'cui honor debetur perpetuus, quem in derisum dominice passionis et obprobrium his sacris diebus iudei Norwicenses peremerunt. Eiusque debetur meritis quod ad sepulchrum

---

<sup>39</sup> ccoe

<sup>40</sup> ccoe

illius remedium suscipias sanitatis. Et his dictis inde continuo assumitur, ac reductus suo restituitur corpori. Remeante uero anima, in conspectu assistentium subito corpus omne contremuit, illisque perterritis qui mortuus putabatur rediuius apparuit. Resumptisque paulatim uiribus, post paululum aperuit oculos, et euo |

### 20va

cato patri totam ex ordine prout uiderat exposuit uisionem. Attonitis super his et admirantibus qui aderant uniuersis subiunxit dicens: 'Ecce annuntiante mihi ac promittente angelo, ad spem salutis reuocor, unde necesse est, pater, ut summa festinatione uersus Norwicum iter arripas, et sepulchrum pueri nuper a iudeis occisi diligenter perquiras. Quo tandem inuento, et ego te duce prout potuero postmodum illuc uenire conabor, ubi et eiusdem sancti pueri meritis me sanari confido.' Surgit pater et propero gressu Norwicum ueniens de memorato sciscitatur puero, sed nullam de huiuscemodi re percipere potuit certitudinem. Dumque ab uniuersis rem talem percunctaretur, aliquo insinuante ad aures iudeorum eiusmodi perlata est questio. Subito igitur exterriti timore, quia infamie sue sermonem renouari cernerent, turbabantur Christiani nominis hostes, atque iterum ut altera uice se et sua intra munitionem castelli contulerunt. Ipse autem qui puerum a iudeis occisum quesiturus nulla prorsus per |

### 20vb

cepta certitudine, domum tristis et laboris fructu frustratus redire festinat. Denique domum ueniens se incassum laborasse et earum rerum quas quesierat nichil omnino

esse explicate. Eger uero econtra illum negligentius quesisse atque ut dixerat omnia reuera ita esse constanter affirmat. Sicque ubi egritudinis sue remedium non sine dolore differri conspicit, omnem tamen salutis sue spem in expectationis defigens mora, pacienter interim tolerauit. Euolutis exinde paucis diebus eiusdem uille presbiter Norwicum abiit, quoniam synodo que tunc temporis ibi fieri solebat presbiter ipse existens abesse non poterat. Sedens autem inter fratres compresbiteros inter cetera negotia ecclesiastica audiuit quendam Godwinum presbiterum super sanctissimi pueri Willelmi nece querula quemadmodum precedenti commemorauimus libro oratione concionantem. Quibus ille auditis non minima gauisus est leticia, quia hunc esse puerum cognoscit cuius et necem hic inpresentiarum predicari audiat et unde domi prescriptus eger loqui sole |

## 21ra

bat. Peracta tandem synodo locum ubi iaceat sciscitatur; quo uiso et denotato domum gratulabundus reuertitur. Narrat egro presbiter que audierat uel uiderat, locumque quo illum sit inuenturus denuntiat. Quod audiens eger, resumptis paulisper et recreatis leticia uiribus, lectulo resedit, et iam quasi semirecepta gratulabatur salute. Contra nimirum imbecillitatis sue incommodum confortatiuum leticie opponebat antidotum. Quid multa? Crastino pater eius qualiter potuit ad illud gloriosi pueri uenerabile sepulchrum filium deportare curauit. Inter hec eger partum sibi salutis differri dolens remedium totus imbecillis uix corporis uiribus animum sequebatur, sed tamen animi uirtute incommodum superabat nature. Veniunt tandem Norwicum pater

et filius, ac uersus siluam ad sepulchrum exoptatum conuertentes iter,  
 quorundam relatu quos in itinere obuios habuerunt sanctum puerum Willelmum  
 didicere iam inde fuisse translatum atque intra cimiterium monachorum  
 sepulchro |

**21rb**

lapideo reconditum. Conuerso itaque itinere ad ecclesiam episcopalem tandem  
 perueniunt, expositoque sacristis negotio ac desiderio suo, eorum permissione  
 sepulchro desiderato admitti meruerunt. Eger ergo quod tanto uoto tam diu  
 concupierat consecutus nimia compunctus leticia erumpit in lacrimas, flexisque  
 ad orationem genibus, deinde totus humi prouolutus, animam suam coram  
 domino effudit. Inter crebros autem singultus et suspiria rogabat dominum uti si  
 quam uiderat non fallax sed uera et efficax fuisset uisio, uisionis ueritate et  
 sanitatis non fraudaretur promisso. Deinde conuersus ad sepulchrum sanctum  
 puerum et martyrem flagitabat, quem adeo sublimem et honoratum celo  
 conspexerat. Eiusque se sanari postulabat meritis ad quem deprecandum  
 angelicis inuitabatur promissis. Dumque in hunc modum preces effunderet,  
 profusis genas rigabat lacrimis, et orationem piam protelabat deuotio. Interim  
 diuina miserante gratia, uigore quodam se membratim infundente, membra  
 sentiebat conualescere et ad subintrans aduentum |

**21va**

omnem paulatim excludi dolorem. Consummata tandem oratione, subita dei  
 uirtute se sentit incolumem, et tam uelocem circa se admiratur salutem.

Plurimum itaque gauisus, quam secum attulerat cum denario candelam oblationis ritu super sepulchrum ponit, et cum patre sospes ac gratulabundus abscessit. He beatissimo martyri Willelmo collate sunt oblationis primitie, quem gratie diuine bonitas talibus miraculorum primordiis glorificauit, et quem processu temporis multiplici uirtutum frequentia cuius ipse meriti sit ac sanctitatis mundo declarare uoluit.

[v.] De consimili uisione cuiusdam puellule.

Aliquanti postmodum temporis interiecto spatio per omnia fere consimilem cuidam uirgini uidisse contigit uisionem. Quas et si temporibus diuersis diuersos uidisse cognouimus, consimilitudinis tamen causa uisioni uisionem conferendo coniunximus. Dumque eas deuotis fidelium auribus explicare cupimus, nemo me ueris non uera cudere siue interkalare existimet, nemo nugarum uel mendatiorum compilatorem |

**21vb**

appellet. Nichil enim prorsus in uisionibus enarrandis interserere presumpsi nisi quod ipsorum uidentium relatu certissime cognoscere preualui. Erat igitur uirguncula quedam in uilla que dicitur Mulchebertune, etate quidem satis iuuencula, et pro uiribus etatis moribus et actu multum religiosa. Hec admirabilem in uisu noctis uisionem non sine nutu diuino uidere promeruit, quam ipsa postmodum nobis referre curauit. 'Videbam,' inquit, 'uigilans pene siue dormiens nescio, deus scit, et ecce columba niue candidior mihi e celis aduolans coram me stetit et ait: "Festinans egredere ac sequere me." Confestim



ergo conuersa in columbam ego ipsam huc et illuc uidebar sequi preuiam. Nec mora, sinistrorsus conuerse in loca uenimus penalia, horroris ac luctus undique plena. Vbi fetor intolerabilis et inpenetrabiles horrebant tenebre, ubi ardor inextinguibilis et irremediabile rigebat frigus.<sup>41</sup> Ibi totius priuatione bonquicquid malum, ibi labor et quies nulla, ibi dolor et intemperies semper con |

## 22ra

[f]usa. Hic turbam animarum conspexi innumeram, diuersis penarum subiectam cruciatibus. Quas dum uariata uicissitudine a penis ad penam conspicio rapi, animo nimirum consternata uehementer exhorruui. Quarum cruciatuum multiplicitatem ac multiplicatis perhennitatem dum mente recolo, tum doloris recordatione, tum pie miserationis impulsu, lacrimas continere non possum. Si autem uniuersa prout uidisse contigit referre concupisco, ad explicandum nequaquam sufficio. Omnibus denique uisis, ducem sequens columbam, relictisque post tergum tartareis sedibus, alarum remigiis sursum feror, et pennigero uolatu celos penetrans ante tribunal dominicum cum columba duce et ego columba pariter consisto. Videbatur autem mihi uniuersorum conditor ac moderator dominus inter sanctorum choros maiestate presidere altissima. Cuius uisione gloriosa pascebantur angeli, cuius odore mirifico saciabantur omnes electi, cuius et radianti splendore illustrari uidebantur et celi. Cuius uestis admirabilis et preciosissima auro gemmisque erat inesti |

## 22rb

---

<sup>41</sup> Source

mabilis<sup>42</sup> mire circumtexta. Ad cuius dexteram gloriosa uirgo et mater assidebat Maria inenarrabili et admirando exornata uestitu. Ibi numerosus aderat angelorum exercitus, ibi congratulans sanctorum uniuersalis consistebat chorus. Inter quos et pariter consistentem ac deo ualde proximum specie quidem incomparabilem puerum conspexi. Huic maximus ab uniuersis deferebatur honor, huius facies decore admirabilis sole multo radiabat splendidior. Cuius uestis uesti dominice fere per omnia erat consimilis, colore scilicet, gemmis, et auro, tanquam si uestis de ueste recisa fuisset. Super quo ualde admirata, eoque maxime quod domino puerulum qualitate habitus parificari cernerem, quisnam hic sit scire desiderans a duce columba querere non distuli. Et illa: "Hic est", inquit, "gloriosus puer et martyr Willelmus, qui in dominice passionis derisum a iudeis olim occisus urbem Norwicensem suo perornauit martyrio. Qua uero Christum mortis imitatus est passione, non dedignatus est Christus ipsum sibi et purpuree uestis parificari honore." Et facta est ad me uox de thro |

## 22va

no dicens: "Vade, puellula, et huic quem cernis puero ac uirgini et tu uirgineum dum uixeris exhibere studeas famulatum. Hunc deuota dilige, ac uirginem uirgo perseuerans uenerare. Ipsum peculiarem habeto amicum, et fidissimum tibi senties aduocatum."

'Quibus auditis ac mente perceptis, duce preuia inde confestim abscedo, et loco unde ueneram restituta priorem formam suscipio. Mane tandem expergefata,

---

<sup>42</sup> ms: inestimabilibus

uisionem illam gratissimam parentibus edixi, quorum consiliis huc adueniens eandem et nobis explicatura accessi.' Quod audientes ac plurimum super hoc admirati deum benedicere et glorificare cepimus, qui et incognita ad incrementum nostre deuotionis, sanctosque suos etiam pauperum glorificare non dedignatur testimoniis.

[vi.] De *pregnante mire liberata*.

Egregium quoque illud miraculum quod primum illius esse didici sub prima miraculorum serie adnotandum iudicauit. Erat quippe mulier Botilda nomine Girardi qui coquus erat monachorum uxor, maximum erga beatum mart |

**22vb**

rem deuotionis gerens amorem. Hec dum idem egregius puer et martyr in cimiterio tumularetur post ceteros cum assisteret, quam feretro pedibus eius fidelis supposuerat deuotio, filicis partem tulit quam in posterum utpote sibi profuturam pio fidei ducta instinctu reseruare studuit. Cumque pauci subinde pertransissent dies, que pregnans erat laborare sub partu cepit. Vbi uero per dies quindecim magis ac magis dolor ingrauesceret, multisque adhibitis nil sibi proficientibus medicinis, tandem aquam reliquiarum benedictam hausisset, in aliquo necdum profecit. Cumque ad extremum uite peruenisse uideretur, angustiante nimis pressura doloris, oculos sursum leuauit, in dexteram et leuam lacertos extendit. Visum quoque pre angustia circumquaque se per singula cursim deflecente, subito memoratum filicis ramusculum parieti a latere dependentem conspexit, et assistentibus suis ait: 'Oh me infelicem, ac mei ipsius

oblitam. Oblivione mei salutem propriam ipsa retardavi. Festinanter iam  
*illum*<sup>43</sup> filicis accipite ramum, et aqua distem |

### 23ra

peratum benedicta michi bibendum tradite.' Quo peracto, tenens calicem ait:  
 'Gloriose puer et martyr Willelme, quanti apud deum sis meriti in presentiarum  
 declarare digneris, et misertus famule tue periclitantis piissimam uirtutis tue  
 super me dexteram extendas.' His dictis, quod erat in cifo totum exhaustit. Mira  
 uelocitas, miraue rerum congruentia! De superioribus sensim potus  
 descendebat in uentrem, et ab inferioribus paulatim puer de uentre prodibat in  
 lucem. Sicque actum est, ut reuera dici possit: 'Ille est introductus ut iste  
 prodiret exclusus.'<sup>44</sup> Liberata tandem mulier omnipotenti deo gratulabunda  
 gratias egit qui per gloriosi martyris sui Willelmi gloriosa merita ipsam sub  
 instanti ab instantis pressura periculi tam efficaciter liberauit.

### [vii.] De uirgine quadam de Dunewiz a demonis incubi infestatione liberata.

Excurso postmodum aliquanto dierum interuallo, in uilla que Dunewiz dicitur  
 uirgo fuit ab ineunte euo deum diligens, carnis illecebras calcans, et celibem  
 uitam appetens. |

### 23rb

Hec a plurimis petebatur ad nuptias, tum quia specie corporis erat formosissima,  
 tum quia ditissimis parentibus cernebatur exorta. Verum quot habuit, in  
 proposito constans, tot et spreuit. Morabatur quippe thalamo patris inclusa, ubi

---

<sup>43</sup> ccoe

<sup>44</sup> Ouid

psalmos quos didicerat diebus ac noctibus solitaria ruminabat. Nichil prorsus amare poterat nisi deum, ad quem totis uisceribus suspirabat. Piis diabolus inuidit studiis, unde ut illam de proposito deiceret culmine satellitem misit iniquitatis. Vnus igitur eorum quos faunos dicunt et incubos, ad luxum proclives ac sepe mulieribus insolentes, se in formam pulcherrimi transfigurans iuuenis ad illam inopinus intrauit et repentinus apparuit. Expauit uirgo solius aduentum uiri solitaria pertimescens. Salutauit ille, resalutatus consedit. Mentitur se esse quod non erat ut adipisceretur quod affectabat. Mentitur se conditione militem, parentela generosum, uirtute ac forma pollentem, diuitiis et largitate precipuum. Ad hec uirgo simplex et pudibunda siluit, et humi intendens lumina |

### 23va

clausit. Et ille: 'Gratanter attendas, gratissima mihi puella. Castitatis tue fama et elegantie forma meis iam pridem insonuit auribus. His amorem concepi, et que fama dictauerat uidere ueni. Ecce iam uisa places, quod restat, coniugium ineamus. Quid in hac uita amore dulcius, amore iocundius? Ad amorem nos inuitant mutuum hinc etas utriusque iuuenilis, inde forma consimilis. Si par pari coniungitur, amicitia gratior habetur. Quis sim ignoras, paucis edicam. Omnibus nobilitate et pulchritudine precello uniuersos sapientia et uirtute supero: cunctis diuitiarum copia prehabundo. Atque ut uerbis fidem faciam, si tantummodo<sup>45</sup> assensum prebeas, mox te tot ac tantis ditabo donis quot et quantis tua nunquam habundauit parentela.' Tunc continuo anulos, monilia, torques, lunulas, inaures, atque huiusmodi multa, protulit et optulit dicens:

---

<sup>45</sup> ccoe

'Hec interim gratanter accipias, mihi gratissima, mihi desiderantissima, postmodum plura et preciosiora pro libito susceptura. Quod ad hec |

### 23vb

uirgo faciat? Qualiter his *sexus*<sup>46</sup> fragilitas resistat? Aures feriunt eximie laudis preconia: oculos alliciunt multiplicis precii donaria: mentem deliniunt diuitiarum et facultatum promissa.<sup>47</sup> Verum inter hec persistit animus in Christo fortis et illibatus. Animum enim temptationum fluctibus exagitatum amor Christi regebat. Surgit igitur uirgo, donaria respuit, precibus non assentit. Quid ergo? Spretus ac uictus malignus hostis cum donariis ut subitus uenerat et subitus disparuit. Sepissime tamen tum diebus tum noctibus rediens replicat antedicta, offert plurima, promittit infinita. Vestes sericas, micantes gemmas, aurum, argentum, et quod preciosius uel pulchrius in mundi gloria excogitari potest ante illam congerit, eique ad libitum uniuersa proponit. Hec frequenter reiterans, sed incassum semper laborans iam ampliori cepit insistere pertinatia. Puella uero sibi consulens, et suspectam precauens uiolentiam, parentibus totum rei geste propalauit negotium. Qui quoniam nullum ad illam intrasse reuera cognouerant eumque cotidie |

### 24ra

[i]ngredientem audiebant, demonem esse conitiunt, quem in aduentu tam subitum et in dicessu tam repentinum puella narrante didicerunt. Parentes<sup>48</sup> autem diligentiam adhibent, custodes assignant. Ille uero nec arceri custodiis nec excludi potuit seris.

---

<sup>46</sup> ccoe

<sup>47</sup> Sexus fragilitas? Roman law; Gregory of Nyssa

<sup>48</sup> ms: corrected from parantes

Porro illam tunc uiolentius aggreditur ut uiolentia sibi subdat, quam nec blandiciis nec donis nec promissionibus circumuenire preualebat. A parentibus ergo consuluntur presbiteri, misse celebrantur, orationibus incumbitur, elemosina distribuuntur. Thalamus aqua respergitur benedicta, ante stratum illius crux sancta defigitur. Vniuersis iam innotuerat demonem esse qui sic eam infestabat. Vnde et diuinis repellere sacramentis attemptabant contra quem humana nil consilia profecerant. Demon autem, qui heri et nudius tercius interpolatis ingrediebatur horis, exinde uiolentior *insti*<sup>49</sup> eamque indiuiduus frequentauit. Presertim diuina pietas que suis semper presens adest fidelibus, et ne temptationibus absorbeantur prouidet, puelle fortiter agonizanti<sup>50</sup> salutare prestitit solatium. Quadam enim nocte usque |

## 24rb

ad uite tedium fatigata dum obdormiret, in somnis illi astitit uir canitie ueneranda conspicuus et indumentis pontificalibus super amictus dicens: 'Filia mea, et deo grata puella, meum non uerearis aduentum: tue salutis attende nuntium. Cum hoste maligno decertasti, multa pertulisti, uiriliter uicisti. Tue iam corona debetur castitati, et brauium certamini. Verum, ut a cotidiane infestationis libereris molestia, mane cum tribus cereis et utroque parente Norwicum uade, sanctique martyris Willelmi a iudeis occisi sepulchrum exquire. Idque pro certo habeas, quod cum inde redieris optate solatium percipies liberationis. Ego sum inquam Herbertus episcopus, Norwicensis ecclesie

---

<sup>49</sup> ccoe

<sup>50</sup> ccoe

fundator, qui et salutis tue tibi nuntius assisto. Surge, uade, liberaberis.' Quid multa?

Disparuit uisio et excitatur uirgo. Surgitur: parentibus uisa propalatur.

Fiunt cerei. Norwicum itur. Ad episcopalem uenitur ecclesiam. Ibi

Wichemanno monacho episcopaliū confessionum tunc uicario, et nonnullis

monachorum, quibus perurgeretur molestiis edicitur, uisio et uie causa

declarantur. Audientes audatiam mirantur demonis, |

#### **24va**

monita suscipiunt paterne uisionis. Accensis igitur quos attulerat cereis, ducitur

cum parentibus uirgo ad Sancti Willelmi sepulchrum in ingressu cimiterii diuo

expositum. Ibi aliquandiu ad deum oratur, sancto martyri preces et uota

funduntur. Lacrime celos penetrant, ut pietatis rorem celi effundant. Quid

igitur? Choercetur hostis malitia et circa uirginem uirtus claruit diuina. Iam

enim spem concipiens, cum parentibus secura regreditur et de cohercita demonis

instantia plurimum gratulatur. Hoc quippe miraculo beati martyris Willelmi

reuiuixit memoria, que paulatim decrescens, in cordibus uniuersorum fere

funditus iam fuerat emortua. Porro diligentem ammonitum uolo lectorem ut

scilicet ex pretaxatis perpendat quante uirtutis merito pie memorie Herbertus

episcopus coram deo polleat, qui et diuine dispensationis tam secretus fieri

mereatur nuntius, et sancte Norwicensis ecclesie quam ipse fundauit tam

diligens sit patronus.

[viii.] *Commonitorium illis qui miraculis sancti Willelmi derogant, et qui eum a iudeis occisum uel negant uel dubitant*



Clarescentibus itaque per beati Willelmi merita |

**24vb**

miraculorum primitiis, erant pl[u]rimi qui diuinis uel beneficiis ingrati uel signis increduli cum promulgarentur miraculis insultabant, eaque ficticia esse dicebant. Quippe duri corde et ad credendum tardi, beatum puerum Willelmum nullius fore meriti post mortem autumabant, quem in uita pauperulum atque neglectum fuisse audierant. Sunt et alii, qui quoniam eum puerulum pauperulum pannosum atque arte pelliparia utcumque uicitantem cognouerant, despectu habent. Vnde et talem quasi nullis precedentibus meritis tanti culminis attigisse excellentiam nullatenus credere possunt. Sunt etiam nonnulli, qui et hunc qualemcunque crudeliter tamen interemptum uel oculis uiderunt, uel ab aliis audiunt, uel scriptis presentibus legunt et tamen aiunt: 'De morte quidem illius certi sumus, sed a quibus et quare et qualiter occisus sit prorsus in incerto fluctuamus; unde nec sanctum nec martirem dicere presumimus. Et quoniam pena martirem non facit, sed causa, si a iudeis uel aliis penaliter constet occisum, quis indubitanter credat uiuentem illum pro Christo mortem appetisse, uel pro Christo illatam pacienter sustinuisse?' His omnibus pariter, sed tamen |

**25ra**

[singulis sin]gillatim<sup>51</sup> respondemus.

Primis igitur qui miraculis insultant, qui ficticia autumant, et sanctificatum non

---

<sup>51</sup>The manuscript is crumbling here. There is a hole, followed by 'gillatim respondemus'. Kept in the same box as the manuscript is a tiny piece of membrane labelled 'fragment of 25', which reads 'ngulis sing'. J&J reads 'singulis singillatim respondemus'. The brittleness of the manuscript suggests that this was not a conjecture, but a transcription of the as-yet intact folio.

credunt, quoniam pauperculum fuisse audiunt, *respondemus*.<sup>52</sup> *Fatemur*<sup>53</sup> equidem quoniam, ficticia miracula miracula non sunt, sed falsitatis sunt ridicula. Verum sancti Willelmi miracula, si non essent uera, nequaquam tam diutina perdurarent frequentia. Profecto si diuine dignationis hoc opus non esset per se citius iam deperisset. Nempe uidimus quam plurimos uariis per multum tempus laborantes incommodis, cecos, mutos, surdos, claudos, incuruos, contractos, scabellarios, turgidos, ydropsicos, ulcerosos, gutturnosos, furibundos, aliosque multos utriusque sexus diuersis languoribus morbidos sancti martiris Willelmi meritis curatos. Sepissime etiam uidimus, inuocato eiusdem sancti suffragio, plerosque in angustiis positos liberari: naufragos plures saluari, quosdam compedibus astrictos relaxari, et nonnullos nexibus ferreis manicatos absolui. Tot igitur ac tanta miracula, qua fronte asseramus diuinitus non esse patrata?

Item: Qui pauperes et neglectos sanctificari non credunt, audiant quod per prophetam dicitur: ‘Spiritus Domini super me, euangelizare pauperibus misit me.’<sup>54</sup> |

## **25rb**

Pauper ipse Christus, non habens ubi caput reclinaret, pauperes ad apostolatatum uocauit, non diuites; debiles, non fortes; idiotas, non mundi sapientes; innocentia pueros, non malitia senes.

---

<sup>52</sup> ccoe

<sup>53</sup> ccoe

<sup>54</sup> Luke 4,18: ‘Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, euangelizare pauperibus misit me’.

Nunc igitur, quoniam primis sat dixisse uidemur, ad alios transeamus qui puerulum eum uilem, pannosum, atque pauperulum uiderunt, uidentes uilipenderunt, uilipendentes ad tante illum uenerationis excellentiam pertingere non debuisse aiunt ubi nulla merita precesserunt.

His respondemus: Si ad sanctificationis repudium puericia in causa est, et nos illis pueros proponimus Pancratium, Pantaleonem, et Celsum, quos in etate puerili Christus ad coronam sublimauit martirii. Atque ipse Dominus in medio discipulorum paruulum statuit, talesque regno celorum aptos fore assignauit. Si autem uilitas aut pauperies in causam ducitur, quid est quod Dominus 'ut confunderet fortia uilia huius mundi et abiecta elegit', et ad cenam suam pauperes ac debiles, cecos et claudos euocauit? Lazarum quoque in sinum Abrahe sustulit, et diuitem purparatum in inferno sepeliuit. Denuo si hoc in causa esse dicant, quod |

### **25va**

ad sanctificationis meritum merita nulla precesserint, innocentes opponimus 'biennes et infra', quos non uite meritum extulit, sed sola diuina gratia glorificauit.

Tercis denique respondemus, eis scilicet qui crudeliter quidem occisum sciunt, sed quoniam a quibus et quare interemptus sit incerti sunt, iccirco nec sanctum nec martirem dicere presumunt. Pro certo siquidem a iudeis peremptum asserimus, quoniam id tum ex habitudine dierum penaliu, tum ex qualitate tormentorum, tum ex certis uulnerum indiciis tum ex uerissimis testimoniorum

argumentis certum habemus. Et quia eos hoc in dominice passionis et christiane legis obprobrium reuera perpetrasse cognouimus, sic facti ueritatem argumentis plurimis comprobamus.

### Primum Argumentum

Primo igitur loco in argumentum ueri proponimus quod seducta matre traditus traditori puerulus ad iudeos ut prelibatum est pridie mortis eius multis cernentibus diuertit, neque postmodum cuiquam foris apparuit. Itidem puella eius consanguinea eum a longe subsequens, iterque illius oculis explorans, et ad iudeos intrare et post intrantem statim hostium claudi certissime conspexit.

### Secundum Argumentum |

#### 25vb

Producatur et *aliud planissimum*<sup>55</sup> uere assertionis argumentum. Eo enim tempore atque ea ipsa die, immo et ipsa hora, qua puer Willelmus in obprobrium reuera Christi penaliter torquebatur, illudebatur, et crucifigebatur, muliercula quedam christiana que illis famulabatur, ab eisdem iussa feruentem aquam in coquina seorsum preparabat, ignorans quidem negotium, sed negotii plane audiens tumultum. Deintro autem acclamantibus: 'Aquam, aquam,' mulier feruentissimam attulit, petentibus ministravit. Sed dum deforis illa traderet ac deintus illi susciperent, hostio interaperto puerum posti affixum, quia duobus non potuit, oculo uno uidere contigit. Quo uiso exhorruit factum; clausit oculum, et illi hostium. Quid igitur? Intro iudei tum ad sanguinem profluentem

---

<sup>55</sup> verso of loose fragment of folio 25

reprimendum tum ad uulnera claudenda, puerum illa feruenti aqua perfundebant; extra anxia mulier quid ageret deliberabat. Nunc execrans factum propalare disponit negotium. Nunc se pacto iudeis obnoxiam retractans, ne famulatus sui donatium deperdat, propalandi affectum refrenat. Dumque sic an reuelet<sup>56</sup> an taceat dubia decernit, tandem terror interueniens reuelandi ausum compescuit. Se etenim |

## 26ra

solam christianam inter tot iudeos mansitantem considerans, ne quandoque consimile apud illos incurrat infortunium ualde pertimescit. Quid enim aliud ea tempestate coniciat, nisi quia iudei si illam secreti sui consciam sciant, illudque reuelare uolentem percipiant, ad illius necem quamtotius aspirent, totamque suspicionis ac timoris molestiam morte unius funditus extinguant? His permota mulier, suam in silentio salutem estimans, ad tempus siluit, seque facti ignaram simulauit. Iudei autem circa uesperam, cum corpus iam exanime secretiori recondissent loco, et tanquam huiusmodi nichil egerint domum reparassent, undique hostiorum patefactus est introitus, ac liber deinceps cuilibet datus est accessus. Memorata ergo mulier, mox ut liberum habuit ingressum, intrauit et circa frequens satagere cepit ministerium. Dum uero ad hec et ad illa huc uel illuc se ageret, in secessu zonam pueri reperit et a zona dependentem cum artanulo

---

<sup>56</sup> ccoe

uaginam et acus et thecam. Deinde securus<sup>57</sup> circumspiciens, certa rei geste notauit inditia. Postmodum uero nobis et zonam cum rebus memoratis |

**26rb**

ostendit, et in domus prefate postibus martirii signa demonstrauit.

### Tercium Argumentum

Argumentis duobus et tertium adnectimus, ut rei geste ueritatem efficacius comprobemus. Succedente aliquanto post mortem beati Willelmi dierum interuallo, dum iudei super illius nece criminaliter impeterentur, calumpniam quam incurrerant omnimodis uel extinguere uel ad tempus subterfugere satagebant. Ea propter Robertum fratrem occisi pueri, tunc equidem clericum, sed monachum postea nostrum, cui accusationis negotium maxime incumberebat, precibus ac precio conueniunt, sed ad pacificum pactionis emolumentum eum aliquatenus pertrahere non potuerunt. *Isdem*<sup>58</sup> quoque nobis super hoc ipso secum conferentibus referre solitus erat, quod de iudeis decem marcas habere potuisset si calumpniam de nece fratris unde impetebantur quietam acclammaret.

### Quartum argumentum

Proponatur et aliud ueritatis argumentum, unde nequitia confutetur iudeorum. Ea tempestate qua Regis Stephani florebat regnum, immo iusticia languente degenerabat, dum apud Norwicum coram rege milesquidam de morte cuiusdam iudei |

---

<sup>57</sup> *ms*: securius

<sup>58</sup> *ccoe*

**26va**

a iudeis accusaretur, uice militis Willelmus Norwicensis episcopus sufficienter perorauit, sicut in consequentibus declarabitur. Tandem igitur, dum iudeo christianum et morti mortem opposuit, totam in iudeos causam translatiue retorsit. Ea propter rex utrique parti dilationis terminum assignat, ut aput Lundonias coram Anglie clero et baronibus de tam graui causa plene discutiat. Totius igitur Anglie iudei plurimum consternati, uenienti Lundonias ad statutum diem Norwicensi episcopo iudeorum omnium primores occurrunt; pecunie quamplurimum offerunt. Querele de iudeo occiso renuntiant, causam de obiectione occisi christiani omnimodis relaxari exorant. Sed presulis animus, Deum timens et fame sue consulens, nec precibus emolliri nec auaritia potuit corrumpi. Perpendat queso ex his dubitantium incredulitas; quoniam iudei talia non facerent, nec tanta promitterent si se crimine obiecto immunes presentissent<sup>59</sup>.

**Quintum argumentum**

In argumentum quoque fidei ac ueritatis interserimus quod a Theobaldo, quondam iudeo |

**26vb**

et monacho postmodum nostr[o] referente audiuius. Referebat quidem in antiquis patrum suorum scriptis scriptum haberi, iudeos sine sanguinis humani effusione nec libertatem adipisci nec ad patrios fines quandoque regredi. Vnde

---

<sup>59</sup>ms: presensissent

ab ipsis antiquitus decretum est omni anno eos in obprobrium et contumeliam Christi christianum ubicumque terrarum deo litare altissimo, ut sic suas in illum ulciscantur iniurias cuius mortis causa ipsi et a sua exclusi sunt patria et tanquam serui exulant in aliena. Qua de re principes et rabite iudeorum qui Hispaniam inhabitant apud Narbonam, ubi semen regum et eorum maxime uiget gloria, pariter conueniunt, atque uniuersarum regionum quas iudei inhabitant sortes ponunt. Quam uero sors designauerit regionem, eius metropolis urbium ceterarum et oppidorum sortes applicabit, atque illud decretale explebit negotium cuius sors exierit. Eo autem anno quo gloriosum dei martirem Willelmum constat occisum, sortem Norwicensibus contigit euenire, atque uniuersa iudeorum Anglie conuenticula scriptis uel nunciis patrando apud Norwicum sceleri pre |

### **27ra**

buisse assensum. 'Eram', quippe, 'tunc temporis Kantebrugie cum iudeis iudeus, nec me latuit patrare accionis scelus. Processu uero temporis, cum gloriosa miraculorum cernerem magnalia que beati martiris Willelmi meritis uirtus operatur diuina, plurimum expaui, et conscientiam meam consulens, iudaismo relicto, ad Christi fidem me conuerti.'

Hec nempe iudei conuersi uerba eo conicimus ueriora quo illa et ab hoste conuerso atque hostilium secretorum conscio reuelata didicimus.

### **Sextum argumentum**

Si autem tantis necdum argumentis incredulorum dissoluitur dubietas,



efficacissimum ueritatis indicium inducimus.

Regnante etenim Rege Stephano, tum ex edicto regio, tum ex uicecomitis Iohannis subsidio iudei iam securiores redditi nobis audacter insultare solebant dicentes:

‘Gratias nobis persoluisse debueratis, quia sanctum ac martyrem uobis fecimus.

Fecimus quidem uobis perutile bonum quod in nos retorquetis ad maleficium. Fecimus uobis quod uos ipsi uobis facere non potuistis.’

### Septimum argumentum

Adhuc denique et aliud proponatur argumentum quo fides corroboretur dubitantium.

Quippe Willelmus de Hastings, |

**27rb**

Norwicensis olim decanus, nobis super nece beati martyris Willelmi aliquando colloquentibus ueraciter protestatus est se nonnunquam litigio duorum interfuisse iudeorum. Et cum unus alterum uerbis criminaliter impeteret, alter ira permotus ad decanum se conuertit et litiganti secum iudeo protendens digitum ait: ‘Domine Willelme, hic qui adeo fiducialiter coram te loquitur, a te qui christianus es audiri non meretur. Ipse enim in christianum uestrum quem martirem dicitis Willelmum primas manus iniecit, manibusque cruentis interemit. Vnde reuera dignus esset qui inter christianos manere non debuisset.’

### Conclusio

Itaque, tantis ac talibus propositis ad ueritatem declarandam argumentis, deinceps non estimo dubitandum, sanctum martirem Willelmum a iudeis fuisse

occisum. Quod autem opponitur, martirem pena non facit sed causa, et nos id ita esse attestamus. Nempe penarum indicia in sancti Willelmi corpore percepimus, quarum causam fuisse patet Christum, in cuius contumeliam penaliter sit occisus. A simili propter eandem causam sanctis innocentibus non pena gloriam martirii contulit, sed Christi gratia, qui mortis eorum causa fuit.

Si uero |

**27va**

quid de iudeis peremptoribus actum sit queratur, consequentia declarant.

### Quem exitum iudei christianicide ultione diuina habuerint

Cum igitur beatissimum *puerum et martirem*<sup>60</sup> Willemum, tum reuelationum indicia, tum plurimis probationum argumentis, a iudeis occisum fuisse constet, non iniusto dei iudicio factum credimus quod ipsos uelut tam nefandi facinoris reos diuina tam festinanter post patrati flagicii actionem perculerit iusticia, ac uniuersos breui temporis processu celestis exterminauerit siue disperserit uindicta. Alii etenim, crebrescentem tanti criminis non sustinentes infamiam, in exteris dispersi sunt prouintias et, ut fama promulgauit, ultione condigna perierunt. Reliqui uero, qui de tutela uicecomitis confisi remanserant, uel festine mortis interitu deleti, uel christianorum manibus sunt perempti. Presertim inter hec Deus adiuuet iudei mortem, in cuius domo, prout superiori commemorauimus libro, beatissimum et gloriosissimum martirem Willemum

---

<sup>60</sup> ccoe

illum et occisum declarauimus, qui et ipsum mortuum nemori abscondendum asportauit, non pretermittendam duximus, |

### 27vb

quoniam si huius rei geste modus diligentius attendatur, maximum ueritati argumentum inducitur.

Erat quippe iudeus ille inter ceteros ditissimus, qui Simonem quendam de Nodariis maximo pecunie debito sibi obnoxium fecerat, et transeunte soluendi termino ipsum militem de soluendi pecunia sepiissime angariabat. Angustiatum itaque miles, quoniam soluendi debiti non *suppetebat*<sup>61</sup> facultas, de die in diem frequentes solutionis renouabat inducias. Armigeri uero eius, in tanta dominum suum cernentes angustia, consilium inter se secretius ineunt quemadmodum ipsum liberare preualeant. Mutui ergo consilii facta collatione, unus ex deliberationis dispensatione, qui iudeum fraudis ignarum quasi ad suscipiendum debitum abducatur, siue assentiente domino, siue nesciente nescio, Deus scit, dirigitur, alii interim nemore per quod transitus erat occultantur. Quo tandem adueniens ductu armigeri iudeus confestim a ceteris rapitur, seorsum trahitur et occiditur. Cuius necem ubi reliqui iudei fama diuulgante cognouerunt, cadauer inde transferentes, Lundonias detu |

### 28ra

[l]erunt humandum. Attendat inter hec diligens lector quam iusto iudicio hec contigisse Deus permiserit, quam condigne talionem reddiderit, ut iudeus qui

---

<sup>61</sup> ccoe

sacrilegis manibus intra domum suam christianum peremerat, peremptum nemore proiecerat, proiectum canibus et auibus exposuerat, et idem e domo sua traductus sub nemore manibus christianis occideretur, atque itidem sub diuo relictus canum et auium exponeretur morsibus.

Euoluto denique aliquanti temporis spacio, cum Norwicum Rex aduenisset, iudei coram rege confluentes super memorati conquesti sunt nece iudei. Atque totius facti crimen prescripto ascribentes militi, eum in hunc accusauerunt modum.

### In iudiciali genere coniecturalis causa

Audiat nos, benignissime rex, tua illustris totique mundo predicabilis clementia, que nulli bene merenti subtrahitur, cuius beneficio pax nobis et tranquillitas administrantur. Tuis ecce confisi patrociniis, ad te ceu ad unicum et singulare nobis asilum confugimus, atque de tua non diffisi iusticia, ad te iustum conuenimus iudicem, iuris et equi reuera sectatorem. Itaque tum de illato nobis dampno atque iniuria debitam requirentes iusticiam, consimilisque |

### 28rb

metu infortunii protectionis tue postulantes tutelam, quid nobis mali illatum sit, siue quid uelimus paucis exponemus. Nos iudei tui sumus, tui quotennes tributarii, tuisque crebro necessariis necessitatibus, tibi siquidem semper fideles regnoque tuo non inutiles. Tu quoque nos benigne satis ac tranquille moderaris; sed tranquillitatem nostram fraudulentis Simonis huius, quem exaduerso stantem cernimus, et non immerito puniendam nimis atrociter perturbare presumpsit audacia. Is etenim creditorem habens unum de confratribus nostris, serum

quidem tuum, iudeum, directo ad eum armigero quasi suscipiendi gratia debiti ab urbe illum ad rus euocauit, atque in itinere iugulari fecit. Quid multa? Tuum quidem, domine rex, iudeum peremptum esse constat, atque ita constare conquerimur. De cuius homicidii reatu hunc Simonem de Nodariis in causam ducimus et tam facinorosam accionem ipsius consilio ac dispositione pertractatam, immo et patratam fuisse asseueramus. Quid uero actio tam nefaria mereatur equi iudicis satis nouit industria. Veruntamen, ut ita gestum credas, in fi |

### 28va

dei ueniant argumentum abductio fraudulenta, facta per diuortium uia, loci ac temporis oportunitas, atque negotii gerendi pro uoto facultas. Armiger ab milite dispensatorie directus et creditori iudeo bene cognitus, ipsum quasi ad suscipiendum debitum inuitauit, abduxit. Via per diuersorii deflexa dispendium suspectos euitauit occursum. Nemo in itinere, noctisque intempeste silentium oportunitatem prestitit. Gladius cum armigero et consodalium, ut fama traditur, ad id negotii ibidem excubans turba patrando facinori facultatem administrauit. Quid autem miles in tanta debiti angaria positus et soluendi impotens aliud consilii inisset ut, exclusa tam diuturne seruitutis molestia, libertatem sibi uendicaret et hoc facti fine finem moleste exactioni imponeret? Atque, ut rem manifestius exequar, debitor miles aut soluere uoluit et potuit, aut uoluit nec potuit, aut noluit et potuit, siue, quod restat, nec uoluit nec potuit. Si ergo uoluit et potuit, cur non soluit, siue cur in tam diuturna angaria permansit? Si uero uoluit et non potuit, ipsa ni |

### 28vb

mirum impotentia menti ei liberationis desiderium paulatim induxit. Si autem noluit et potuit, ecce iam maliuole mentis conscientia maleficium concepit. Denique si, quod magis credimus, nec uoluit nec potuit, constat profecto quoniam exquisite deliberationis industria huiusmodi maleficii parturiuit consilium. Iterum si iudei necem qua insimulatur non uoluit, non resciiit, non pertractauit, ut a se omnem secludat mali suspicionem, cur sponse mortui aut parentibus debitum exigentibus non soluit? Cur fidem suam qua creditori constrictus erat per incuriam negligit? Quin etiam iam insolens et contumax effectus, nobis eum super fide sua adquietanda conuenientibus, conuitiorum maledicta irrogat, crebrasque non promerentibus minas intentat.

Homicide ergo militis reatum satis denotatum estimamus dum occisionis causam ac modum deinde dum occisoris insolentiam et minarum audatiam explanauimus. Licere autem cuilibet christiano quempiam pro libito suo bene merentem iudeum ita impune occidere nequaquam credimus; et quod non licere procul dubio constat si sicimpuni |

## 29ra

[tum relin]quatur,<sup>62</sup> emulos multos eiusdem audatie futuros satisque deterius postmodum prouenire non dubitamus. Proinde nobis plurimum super huiuscemodi timentes et confratris nostri indigne condolentes morti tuam, iuste rex, exoramus clementiam quatinus paci ac securitati nostre prouideas, indignamque tui iudei mortem impunitam non pretermittas.

[I]n hunc itaque modum accusatus miles, primo super huiuscemodi re se reum esse negat ac deinde, petita a rege licentia, super eodem diligentius responsurus

---

<sup>62</sup> text from fragment stored with ms

ad consilium cum amicis progreditur. Et quia miles de tenura, ut ita dicam, erat episcopali<sup>63</sup> episcopus Willelmus militi ut consulat licentia regis ad consilium procedit. Cumque in tam difficili causa sub admirabili genere defensionis omnes orationem laborare cernerent, ad id consilii uentum est, ut in causa pontifex pro milite defensoris uicem great. Tum ut regem, cui iam persuasum uidebatur, attentum et beniuolum redderet auctoritas, tum ut aduersariorum infirmata calumpnia<sup>64</sup> militem liberet artificiosa eius qua pre ceteris affluebat eloquentia. Presul itaque, multa prece tandem compulsus, negotio |

### 29rb

accingitur. Et quoniam iam hinc regem inde consistentes sensisset offensos, sub tali genere cause in exordii uestibulis compendiosa quadam insinuatione utendum fore adiudicauit. Qua peritus perorator abalienatos auditorum pedetemptim subiret animos, talique artificio comparata paulatim ipsorum beniuolentia, orationis reliquum ad criminis circumfleteret translationem. His igitur quasi munitus armis ad perorande cause consurgit conflictum, et de consilio cum suis regressus huiusmodi coram rege arripuit loquendi exordium.

### Oratio defensoris.

Assentimus quidem et nos detestandos immo et precipue puniendos fore qui bene merentes creditores suos dolo traducunt siue traductos interimunt. Eos uero per maxime persequendos censemus qui fidem solito uiolantes fraudis

---

<sup>63</sup> sic. episcopalis?

<sup>64</sup> ms: calupnia

sacrilegium pro nichilo ducunt, mendacii crimen paruipendunt, qui debitis suis nolunt siue nesciunt querere remedium, nisi per machinatum aliene mortis interitum. Porro iudeus de cuius nece miles Simon insimulatur dum uixit plurimos |

### 29va

preter Simonem debitores habuit, alios quidem minori, alios uero pari, et nonnullos debito multo maiori sibi obnoxios. Si igitur quisquam, quo debiti absoluatur molestia, mortem eius exoptauit, credibilius uidetur circa illam deliberasse maiori debito astrictum quam minori obnoxium. Hunc autem quis creditoris *sui*<sup>65</sup> necem appetisse credat, cuius et mors non absque maximo ei contigit dampno, et uita non sine multiplici fuerat beneficio? Qua etenim ratione me uelle astruar illum mori quem morte prefestina mihi subtrahendum timeo, cuius et uitam uelut mihi per omnia necessariam diu protelari concupisco? Sic et miles qui de nece creditoris impetitur, si uiuentem tanquam sibi perutilem et necessarium plurimum dilexit, si mortuum plangere et necdum desistit, quemadmodum quod cum amore tanto possederat quandoque se amisisse non plangat? Et quem amissum sic doleat, quis eum super amisso gaudere uel necem eius appetisse contendat? Quod autem criminis armigero inducitur, culpam armiger prorsus diffitetur. Quod tamen ueritatis in actione |

### 29vb

fuit ab ipso edocti [breuiter]<sup>66</sup> explicabimus. Miles quem super huiuscemodi re

---

<sup>65</sup> ccoe



plurimum admiramur accusari, quem boni semper testimonii ut mitem, ut benignum, ut non iniuriosum fuisse cognouimus, domi domestica et necessaria detentus cura, quia Norwicum uenire non potuit, reuera per armigerum ad suscipiendum debitum creditorem euocauit. Armiger, disponente ita iudeo, sub silentio noctis cum ipso urbem egressus, securiorem quam nouerat arripuit uiam, ut et per tenebras malignorum hominum lateret noticiam atque omnes suspectos declinaret occursus. Confecta uero aliquanta itineris parte, ubi nullas omnino suspicabantur insidias, inciderunt in latrones. Qui aduenientes subito rapuerunt, equisque deiectos ut expoliarent seorsum uiolenter traxerunt. Inter hec iudeus, dum quem ferebat mucrone se defendere conaretur, hostili cecidit interemptus gladio. Porro armiger saluti sue consulens, occupatis circa iudeum aliis, tenentium elabatur manibus et per silue densitatem que ibi aderat fuge |

### 30ra

[ue]locitate uitam conseruauit. Sic utique, domine rex, iudeum constat interfectum. Super cuius necis reatu militem qui eius insimulatur reuera immunem ne dubites, qui facti atrocitatem confestim ubi factam cognouit, uehementer super indigna tanti amici morte condoluit. Sed neque usque in hanc horam, licet inde sedulus indagator extiterit, tanti factores facinoris rescire potuit. Ab huius quoque ueritatis tramite si rumor exorbitauit non admiramur. Sed, quia falsos cotidie suboriri rumores cernimus, profecto non uniuersis fides facile est adhibenda rumoribus. Denique quod minarum et conuitorum miles

---

<sup>66</sup> text from fragment stored with ms

arguitur, cum iudeos ipse semper honorauerit atque plurimum dilexerit, non parum admiratur. Vt autem uniuersa breui summa concludam; miles se necem de quo agitur iudei neque uoluisse neque pertractasse neque aliter ac dictum est rescisse, sed nec iudeis in aliquo derogasse prout curia presens dictauerit constanter probaturus assistit. Sed inter hec serenissime discretioni tue, iustissime rex, intimatum iri uolumus quoniam uelut nobis uidetur ad

**huius |**

**30rb**

modi iudeorum accusationem nos christiani respondisse non debuissemus, nisi primo de christiani nostri nece purgarentur, unde et ipsi pridem accusati et non purgati dinoscuntur. Et ut rem totam et pertinens omnibus christianis negotium christianissime clementia tue enucleatius<sup>67</sup> atque summatim enodemus, iudeus ille, de cuius morte miles licet immunis arguitur, cum ceteris qui tunc in urbe erant iudeis in domo sua, ut fama dicitur, puerum christianum miserabili

penarum modo attrectauit, interemit, et nemore abscondit. Qua de re diebus predecessoris nostri Ebrardi pontificis a presbitero accusatis sub plena synodo iudeis, obsistente et manutenente eos Iohanne uicecomite, nullam de eis christiani postmodum habere potuerunt iusticiam. Habemus et adhuc eundem presto presbiterum, ipsos sub crimine pretaxato quando et quo libuerit iudicio probaturum. Ea propter, si regie non displiceat maiestati, competens nobis ac

---

<sup>67</sup> ccoe

iustum uidetur ut sicut christiani nostri in obprobrium et derisum passionis christi factam occisionem iudei mors nostramque calumpniam |

### 30va

calumpnia eorum subsequi dinoscitur, ita nimirum et presbiteri accusantis probationem militis purgatio subsequatur. Neque diutius rigor differatur iusticie, quoniam tantum scelus usque in hodiernum diem et impunitum esse conquerimur, atque ulterius non differri deprecamur. Ita tamen queque pertractentur, ut et Christus preponatur in omnibus, et legi christiane digna pro meritis exhibeatur reuerentia.

Perorante igitur in hunc modum episcopo adeo commoti et iam persuasi regis et assistentium sunt animi, ut confestim puniendam iudeorum funestam decernerent audaciam, iamiamque paulatim magis ac magis incitarentur ad uindictam. Sed, quoniam omnibus generaliter christianis huius sermonis pertinere uidebatur negotium, differri rex iussit quousque quod in proximo futurum erat cleri et baronum Lundonie celebraretur concilium. Quod et ita factum est. Congregato etenim paulo post concilio affuit et Willelmus Norwicensis episcopus cum plurimis suorum et milite accusato. Conuenerant quoque et paucis ante diebus e diuersis Anglie ciuitatibus |

### 30vb

apud Lundoniam iudei pr[uden]tiores, ut scilicet, sicut rerum postea significauit euentus, communis collatione consilii super memorato sermone deliberarent qualiter in tam difficili causa saluti sue consulerent. Qui, nullam aliam euadendi

repperientes uiam, per regios pecunia, si fame creditur, precorruptos consiliarios regem ipsum conueniunt, dataque ut dicitur non modica argenti copia, ipsius gratiam uix tandem extorserunt. Ex cuius confestim consilio episcopum Norwicensem adeunt, plurimaque licet marcarum numerositate promissa iudeique occisi morte condonata, nullatenus pontificalem corrumpere preualuerunt animum. Quid plura? Post tridie, assistentibus regi in consistorio episcopis et baronibus, affuit inter ceteros et memoratus pontifex Willelmus. Qui plura post pertractata negotia, cum accusato assurgens milite: 'Ecce,' ait, 'domine rex, nostram parati sumus iterare causam, tuam subinde et consistentium audituri sententiam.' Cui rex: 'Quoniam,' inquit, 'domine episcope, pluribus hodie sermonibus defatigati et nonnullis que restant impediti sumus, condignam |

### 31ra

[tan]te rei sedulitatem exhibere non possumus. Sed interim patienter sustine, dum his uelut quibusdam precis sentibus expeditiores postmodum quasi ad succidendam arborem nociuam iusticie nostre securim exacuamus. Et quoniam causa perdificilis est, ipsam temere aggredi aut prepropere nos non condecet. Quanto etenim res uehementior est et offensa, tanto maior iusticie adhibenda est cautela. Ipsam itaque causam in aliud tempus differamus ac maiori reseruatam oportunitati, cum licuerit et libitum fuerit, communis prouisione consilii retractabimus.'

[I]nter hec diligens lectoris perpendat prudentia non ad aliud *nos declamationis*<sup>68</sup> huius conflictum libro nostro interseruisse, nisi ut palam fiat quod uersutissima iudeorum *gens et auarissima*<sup>69</sup> si de obiecta sibi gloriosi pueri ac martiris Willelmi nece ream se esse non persensisset, presbiteri probationem non adeo timuisset, nequaquam ita omnino refugisset. Itidem pro necis eiusdem reprimendo sermone regi regiisque consiliariis non tantum pecunie tribuisset, nullatenus episcopo tantum promisisset, et ma |

### 31rb

xime precepti mortem iudei nullo unquam pacto ita sine calumpnia quietam reliquisset. Constat ergo quia sibi conscii de tanto facinore fuerant. Licet enim auarissimi sint, per pecunie tamen sue dampnum non displicuit eos timori suo comparare remedium.

[xv.] *Qualiter diuine ultionis iudicium circa Iohannem vicecomitem iudeorum defensorem apparuerit.*

*M*ortem quoque Iohannis uicecomitis, quam condigna dei ultione gestam credamus, nequaquam pretermittere uolumus. Is siquidem a die synodali qua, ut precedenti meminimus libro, christiane iudeos iusticie multis premuneratus muneribus subtraxit, irremediabili cepit laborare morbo. Sicut etenim quibusdam familiarium suorum ipse postmodum testatus est, a quibus et id ipsum post mortem eius didici, puncto temporis quo iudeis patrocinando legi sicut predictum est christiane patenter aduersari cepit, per posteriora eius sanguis guttatim profluere inchoauit. Adeoque

---

<sup>68</sup> ccoe

<sup>69</sup> ccoe

diuina circa eum claruit ultio, ut reuera cum iudeis dicere et ipse possit: 'Sanguis innocens super nos |

### 31va

et super filios nostros.<sup>70</sup> Per duos igitur annos sanguine uicibus crebris per ima profluente uirtutem corporis sanguinis defectus imminuit, uultui pallorem induxit, et quamuis iram dei super se manifestam sentiret, totus tamen induratus necdum penitere uoluit. Tercio uero anno, quo iram in se magis incitaret et acueret diuinam et propositam sibi diuine prouidentie acceleraret uindictam, Norwicensis ecclesie pacem ausu temerario perturbare presumpsit, nec in quantum licuit dignitatem eius, in eligendo scilicet pontifice, a regibus et apostolice sedis summis pontificibus confirmatam quassare pertimuit. Tantis igitur malignitatis sue meritis iram dei prouocantibus, nutu diuino memoratus circa eum inualuit morbus. Dumque prior Norwicensis Willelmus eidem ecclesie preficeretur et consecraretur episcopus, idem Iohannes adeo prescripta grauatus est ualitudine, ut a Trinouanto<sup>71</sup>, ubi hec gerebantur, nullatenus Norwicum ingrauescente morbo redire potuerit. Sed ab itinere diuertens Mileham, eoque uix perueniens, paucis ibi diebus euolutis, in |

### 31vb

cessabili illo deficiens sangu[inis] profluuio, exhaustisque cum sanguine uiribus, utinam uel tunc uere penitens diem clausit extremum. Perpendat igitur ex his diligens lectoris industria, ultio diuina quam grauiter illum feriat qui sancte ecclesie legique christiane pro uiribus sic aduersari non reformidat.

---

<sup>70</sup> From Matthew 27,25.

<sup>71</sup> Mythical name of London, according to Geoffrey of Monmouth, HRB I, 17.

Explicit liber secundus.

Incipiunt capitula libri tercii

[i.] De translatione eius a cimiterio in capitulum; quod, quamuis urgeret *episcopi et prioris*<sup>72</sup> Helie preceptio, non potuerit tamen sepulchrum sancti pauimento capituli coequari.

[ii.] De manifesta postmodum sepulchri exaltatione.

[iii.] De tapeto ablato ac luminari prohibito.

[iv.] De quodam clerico die paschali a dolore dentium liberato.

[v.] De monacho a consimili dolore liberato.

[vi.] De uisione monachi ac eiusdem correctione Petrus Peuerellus nomine, miles quondam in seculo.

[vii.] Qualiter uxor Gaufridi de Marci infirma ad Sancti martiris sepulchrum uenerit et sana redierit.

[viii.] Qualiter Muriel uxor Alani de Sechhuthe a quadam sua priuata egritudine ad sepulchrum eius liberata sit.

[ix.] De puerulo morti proximo et meritis |

**32ra**

[san]cti martiris curato.

[x.] Qualiter monachus sompni amissione grauatus statim petito sancti martiris suffragio sompnum recuperauerit.

---

<sup>72</sup> ccoe

[xi.] Quod domina Mabilia de Bec et filii eius sancti martiris circa se experti sunt uirtutem.

[xii.] De uisione Ricardi de Lunna atque eius morte., et de recuperatione luminis in capitulo.

[xiii.] **Q**ualiter W. sacrista ab infirmitate capitis et surditie meritis sancti martiris Willelmi curatus sit.

[xiv.] De quadam Alditha ab egritudine diuturna liberata.

[xv.] De altera per multum tempus languente per uisum mire curata.

[xvi.] **D**e puero muto ad sepulchrum per uisum allato qualiter potentiam loquendi recuperauerit.

[xvii.] De puero ab annuo dissenterie languore curato.

[xviii.] De muliere quadam de Ormesbi sanitati restituta.

[xix.] Qualiter nautis mari periclitantibus per merita sancti martiris uirtus diuina subuenerit.

[xx.] De porcis paupercule mulieris infirmantibus et sanatis.

[xxi.] Quod mortalitas in bobus uirtute sancti martiris Willelmi sepissime cohercita sit.

[xxii.] De quadam Yda a dolore grauissimo liberata.

[xxiii.] **D**e admirabili cuiusdam uirginis uisione.

[xxiv.] De quadam Goldeburga languente et sanata.

[xxv.] De filia Bartholomei de Creic a febribus liberata. |

**32rb**

[xxvi.] De quodam ydropico curato.



[xxvii.] De puero quodam decenni qui ad sepulchrum sancti martiris allatus diutine infirmitatis sue subitum senserit leuamen.

[xxviii.] **Q**ualiter Hildebrandus quidam ab infirmitate sua conualuerit.

[xxix.] Qualiter sacrista sancte Trinitatis Cantuarie sacri martiris Willelmi uirtutem in sanatis clerico ac palefrido manifestam senserit.

[xxx.] Qualiter quedam Emma de Wichtuna ad sepulchrum sacratissimi martiris de infirmitate grauissima curata fuerit.

[xxxi.] Qualiter plurimi per puluerem de lamina sepulchri eius abrasum et cum aqua benedicta bibitum egritudinis sue perceperint remedium.

[xxxii.] Qualiter filius Alurici de sartrino monachorum de gutturis inflatura curatus fuerit.

**Expliciunt capitula.**

**[i.] De translatione corporis sancti in capitulum: liber tertius.**

**V**bi moderatrix uniuersorum gratia Christi beatum martirem suum et gloriosum gloriosioreffacere et in quanta gloria post mortem carnis uiueret fidelibus uoluit populis declarare, reuelatione uenerabili et mirifica transferendum a cimiterio indicauit. Con |

**32va**

summatis siquidem sex post beati martiris Willelmi in cimiterio tumulationem annis, prima quadregesime ebdomada feria secunda, dum ego Thomas Norwici in confratrum dormitorio monachorum post matutinos lecto quiescerem, in uisu noctis diuina reuelante gracia uenerabilem et memoria non indignam

uidere promerui uisionem. Videbam quippe mihi assistere uirum uultu et canicie uenerandum, indumentis episcopalibus incomparabili candore renitentibus superindutum. Hic pontificali quem gerebat baculo me excitans ait: ‘Surge, frater, et Helye priori filio dilecto dicere festina, ut et ipse episcopo Willelmo ex mea parte denuntiet quatinus preciosissimum illum thesaurum quem cimiterio fratres habent reconditum quam totius inde transferant; quoniam si negligentie impulsu paterne iussioni non obaudierint, eos citius illum ad maximum ecclesie detrimentum amissuros cognoscant.’ Tunc sciscitanti mihi quis nam esset *qui talia nuntiaret respondit:*<sup>73</sup> Ego sum ille Herebertus huius Norwicensis ecclesie primus dei gratia fundator. Vade igitur, frater, et hec |

### 32vb

ad filios paterni mandati [perfer]<sup>74</sup> intersigna. Recordentur, inquam, qui[a] mihi ad regis curiam proficisci solito quandoque quasi suggerendo deprecari solebant ut ad ecclesia sue decus aliquas a rege uenerabiles sanctorum perquirere studerem reliquias. Quibus ego non me rem eiusmodi tunc, sed terras et redditus quesiturum aiebam; quia post aliquanti spacium temporis diuina ministrante gratia eos tantas et tam uenerabiles habere contingeret reliquias, unde ecclesia Norwicensis plurimum exaltaretur, totique anglie celebris et transmarinis partibus foret uenerabilis. He sunt, inquam, quas transferendas premonui reliquias, et quas nisi maturius intro conferantur fur in deliberationis stans uestibulo premiis conductus sullaturus accingitur. Mane ergo, frater, cum

---

<sup>73</sup> ccoe

<sup>74</sup> J&J recorded “perfer”. Microfilm shows “per...”, but this has now crumbled away.

surrexeris, quibus indixi filiis paterna mandata perferre non negligas. Quibus dictis abscessit.'

Expergefactus autem ego dum uisionem animo diligentius reuoluerem, reuoluenti michi reuelatio illa Gamalielis ad Lucianum statim occurrit. Vnde ex industria iniunctum exequi mandatum ad horam distuli, quoniam magnopere secundam et terciam reuelationem |

### 33ra

affectaui. Cum uero due pertransissent ebdomade, ante diluculum illuscescentis dominice, quando 'Oculi mei' decantatur, quiescenti mihi itidem ut prius idem uenerabilis presul Herebertus assistere uisus est et ait : 'Quare negotium, frater, tibi iniunctum retardasti? Quare mandato nostro non obaudisti? Impiger esto internuntius, quoniam ecclesie pernecessaria est in hac re maturatio. Ecce plurimis conducti sunt muneribus qui quem ante dixi thesaurum furentur iam et auferant. Surge itaque, frater, surge, et quod iniunxi mandatum exequi non differas.' Et hec dicens recessit.

Surgens igitur, quia iam illuxerat, continuo ad ecclesiam properaui, totamque ante dominicum altare in orationibus animam coram domino effudi. Multis precibus cum lacrimis diuinam exoraui miserationem ne tertia frustrarer reuelatione. Quod autem postulauit, deo annuente optinere promerui. Dum etenim sub diluculo illuscescentis dominice, qua 'Isti sunt dies quos obseruare debetis' decantare consueuit ecclesia, in lecto pausarem, uenire mihi uidebatur memoratus presul Herebertus, tenensque dextera puerum quasi duodennem,

pontificali |

**33rb**

quem sinistra gestabat baculo me tetigit et excitauit. Expergefactus igitur, nec tamen, credo, bene uigilans, cum erecto modicum capite oculos sursum eleuassem, ipsum coram me quo predixi modo consistentem conspexi. Qui quasi ex indignatione caput quatiens et comminans baculo ait ad me: 'Nisi iste quem dextera me tenere conspicias patronus tuus esset et pro te interuenisset, iam iam quod patris precepto inobediens fuisti acerrima lueres pena.' Tunc arripiens me per sinistrum brachium strinxit, excussit, brachioque impressa pollicis uestigia manifesta reliquit. Et ait: 'Tu siquidem, Thoma, incredulus Thomas fuisti uel saltem iam crede. Ecce, inquam, gloriosus puer et dominice reuera passionis imitator Willelmus assistit, qui se absque dilatione a cimiterio introrsus transferri expetit. Quod si summa festinatione prouisum non fuerit, pro certo fratres nouerint eos illum in proximo, nisi deus prouideat, amissuros. Expergiscere ergo, et surgens denuntia episcopo et priori que illis nuntianda tibi iniunximus. Locus uero quem sibi *amodo*<sup>75</sup> manendum preelegit capitulum est, lapisque puerorum sedibus interponendus.'

His dictis, cum me |

**33va**

statim uestibus induissem et subducto *aliquantulum*<sup>76</sup> cuculle caputio oculos

---

<sup>75</sup> Cco

<sup>76</sup> ccoe

extersissem,<sup>77</sup> quos ante uideram intuitu diligentiori perquirebam. Verum cum iam non apparuissent, et ideo me illa non nisi per sompnum uidisse existimarem, grauatis adhuc et plenis sopore oculis caput demisi atque iterum dormire cepi. Tunc quippe uisum est mihi quasi aliquos de fratribus mecum ex precepto prioris ad beati martiris Willelmi sepulchrum accedere, aperire, purissimoque argento et candidissimo plenum inuenire. Quod excipientes mundissimisque<sup>78</sup> lintheaminibus inuoluentes cum claustro inferremus, preeunte cum episcopo priore, tantum utpote suscepturus thesaurum, maximus candidatorum contra ueniebat conuentus. Et thurificato uelut mihi uidebatur eo, procedentibus processionaliter fratribus, illum intra ecclesiam ante altare dominicum asportabamus. Episcopus autem sermone ad populum habito multe uenerationis thesaurum dei gratia Norwicensibus attributum demonstrauit. Tunc erexit se beatissimus puer et martir et euocato episcopo ait: 'Tunc, domine pater, mihi lectulum in capitulo preparari, quia ibi paulisper inter pueros puer ipse pausare desidero, |

### 33vb

postmodum ad ecclesiam denuo reuersurus.' Iussit itaque episcopus ipsum quo petebat deportari. Quod et ita fieri dum mihi per uisum uideretur, expergefactus subito et circumspiciens nichil eorum me uidere que mihi ante uisa uidebantur admiratus sum. Proinde ad me ipsum reuersus sompni uisionem fuisse agnoui.

Mane uero surgens, ubi iuxta ordinem loquendi daretur facultas, priorem

---

<sup>77</sup> ccoe

<sup>78</sup> ms: mundissimisque mundissimisque

Helyam conueni eique paterna propalau mandata. Qui ualde exhilaratus tum quoniam certa patris intersigna suscepit, tum quia ecelesie Norwicensi multe commoditatis honorem pullulare cernebat, uisionem ac rei geste seriem episcopo retexuit. Episcopus igitur super his deo gratias egit, atque de translationis modo cum priore agere cepit. Quid multa? Indicitur dies, hora, rei gerende modus, et qui negotium exequantur fratres. Ad id sex deputantur, quorum numero ego Thomas interesse merui. Denique adueniente sub die determinate rei gerende hora, ferie scilicet *quarte*<sup>79</sup> post pascha florum nocte, nocturnis completis laudibus, cum preter nos sex totus se dormitorio contulisset conuentus, decantatis prius septem salmis cum letania ad exequendum opus nobis iniunctum |

### **34ra**

Ante lucani accingimur. Accedentibus uero nobis ad sepulchrum quo egregia Illa beati Martiris claudebatur gleba atque hesitantibus quis prior ictum daret, subitus horror nos arripuit. Verum ego herentibus pre timore sociis animum resumpsi, arreptoque cuneo ferreo et iuncture lapidum appposito, grandi malleo fortiter percussi atque ad tercium ietum subintrante cuneo a lapide lapis cepit seiungi. Quo uiso socii collatis uiribus ad lapidem superiorem amouendum conuolarunt. Quo deposito, retro abeuntibus ceteris nec intuitum intro defigere audentibus, ego et alius quidam de consociis audacter accedimus et ad intuendum ceteros inuitamus. Tunc adhibito copioso candelarum lumine pariter

---

<sup>79</sup> ccoe

conspeximus rei ut erat ueritatem. Dumque eum intueremur, anteriores duos dentes a maxilla segregatos seorsum iacere comperi. Quos uidens et primo an caperem hesitans, pio denique incitatus furto nescientibus sociis collegi: collectos, mundissimo panniculo inuolui, et inuolutos secreto loco recondidi. Nec illos me habere quisquam scire potuit, donec postea idipsum et ipse reuelauit. |

### **34va**

Quibus reuelatis, ex aqua qua illos lauare solemus, sicut in consequentibus declarabitur, multos multotiens curatos fuisse probauimus. Martirem itaque summa leuatum cum reuerentia et candidissimis inuolutum lintheaminibus pallio cooperuimus atque uniuersa, clarescente iam aurora, diligenti consummauimus cura. Decantata uero tunc prima conuentus festiue accedens capitulo illum intulit, ubi a lathomis et cementariis fossa preparata sarcophagum immissum fuerat, eo scilicet quo ipse antea per uisum petiuerat loco. Sed illud in oculis assistentium mirabile apparuit, unde nos plurimus tenuit stupor. Vrgebat etenim tum episcopi mandatum tum prior presens assistens et iubens quatinus ita res gereretur ut sarcophagum fosse immissum pauimento coequatum nichil uel parum prominere. Itaque laborant cementarii, hinc pontificale mandatum, inde prioris assistentis explere preceptum. Summa siquidem adhibita diligentia sarcophagi spissitudinem ad fosse conferentes profunditatem, quod iussi fuerant se pro libito exequi nullatenus dubitabant. Sed diuina dispensante |

### **34va**

gratia res in contrarium uersa est. Nempe inter hec aliter ad libitum disponebat

homo et seruus atque aliter ad martiris sui uenerationem preordinauerat deus et dominus. Fossa sepulcrum, sepulcro corpus immittitur: sed superposita lamina fere tota pauimentum super eminere inuenitur. Indignatus ad hec, prior statim deponi laminam et exposito iterum corpore terram iterum suffodi iubet et exponi, ut reposito corpore et superposita denuo lamina uel sic pauimento sepulcrum queat coaptari. Dumque cura huiusmodi ministerium ministri operis diligenter satagerent, qui in sanctis suis gloriosus est dominus seruum suum martirem manifeste glorificauit. Quod enim, nec tamen ad uelle prioris, sepulcrum antea contigit prominere, *modo ibi diuina*<sup>80</sup> latenter operante gratia in oculis astantium patenter cernebatur iam quasi excreuisse. Ad hec uisa fratrum letatur conuentus, et nonnulli pre gaudio lacrimati sunt: et qui paulo ante de sepulcri depressione doluerant, de eiusdem postea per manifestam diuine uirtutis ostensionem exaltatione plurimum gaudebant. Stupefactus ad hec prior ita esse permisit quoniam diuine |

### 34vb

ulterius resistere uoluntati securum non credidit.

### [ii.] De manifesta sepulchre exaltatione.

Ueritate attestante uerum fore didicimus quia 'exaltatus humiliabitur atque e conuerso exaltabitur humiliatus.'<sup>81</sup> Cum etenim ad inuitatos in parabolis loqueretur dominus, inuitatum premonuit ne scilicet iniussus primum presumeret occupare locum, ne honoratioribus uno post alium super uenientibus

---

<sup>80</sup> ccoe

<sup>81</sup> Based on Isaiah



tandem cum rubore extremum cogatur locum optinere. Subiungens deinde docuit recumbenti nouissimam preeligendam<sup>82</sup> sedem ut postmodum ab inuitatore recumbentium considerante et discuciente merita, audire mereatur: 'Amice, ascende superius.' Tunc quippe utrinque contingat condigne pro meritis, ut scilicet exaltetur se humilians et deponatur se exaltans. Quam se exaltantis depositionem considerans psalmista quasi insultando ait: 'Vidi impium super exaltatum et eleuatum sicut cedros Libani, et transiui et ecce non erat',<sup>83</sup> et cetera. Se humiliantibus uero exaltationem apostolus Petrus magistre ueritatis sequens uestigia predicauit dicens: 'Humiliamini sub potenti manu dei ut uos exaltet |

### 35ra

in tempore uisitationis.' Porro beata et gloriosa uirgo Maria utrumque uersus breuitate conclusit, dicens: 'Deposuit potentes de sede, et exaltauit humiles.'<sup>84</sup> Hanc equidem humilis exaltationem, tot et tantis predicatam preconiiis, cura glorificandi martiris sui sepulcrum gratia uoluit diuina nostris experiri conspectibus. Nos nempe qui sepulcri supereminetiam prima die mensurauimus, nil tamen futuri tunc suspicantes euentus, completo anno rem reuera incredibilem sed uisu plurimorum expertam experti et nos sumus. Comperientes etenim tam subitam sepulchri exaltationem eminentie illius memoratam adhibuimus mensuram, supra quam et plenum palmum excreuisse

---

<sup>82</sup> ccoe

<sup>83</sup> Psalm 36

<sup>84</sup> Magnificat, Luke, 1, 46-55.

probauimus. Et quod coram deo teste loquor, plebs me silente Norwicensis et cognouit et predicat. Ne autem gestorum seriem ab emulis rescindere dicar, quod descripte translationi ea que postmodum completo gesta sunt anno ita prepostere statim interseruerim quasi nil memoria dignum interfuerit, respondeo, ac facti causam subiungo. Quoniam inquam in descripta translatione admirabilem illam sepulcri, diuino eam in oculis nostris dispensante **nu |**

**35rb**

tu, eleuationem commemorauit, eam illi que magis ac magis usque ad anni expletionem excreuit exaltatio non incongrue, ut reor continuauit. Hoc itaque ita egi, non ut ordinem gestorum rescinderem, sed ut similia similibus conferrem.

[iii.] De tapeto ablato et luminari prohibito.

Anno itaque ab incarnatione dominica millesimo centesimo quinquagesimo translato, uelut premissum est, intra capitulum uenerando martiris corpore, feria quarta post pascha florum, tunc scilicet idus aprilis, consequenti dominica qua dominice resurrectionis gaudia recolebantur, quorundam consilio consodalium ego Thomas ad uenerandi martiris sub tam uenerabili die uenerationem tapeto sepulcrum eius cooperui atque capiti illius cereum grandem quem ipse ad ipsum preparaueram illuminatum apposui. Quo audito prior Helias grauiter quidem tulit, et que quasi presumptuoso ausu apposita fuerant, uiliter auferri nec ulterius apponi precepit. Vnde plurima pars conuentus plurimum scandalizata est et conturbata eisque factum illud eo magis displicuit quoniam mali animi signum fuit. |

**35va**

Veruntamen, ut aiunt, magis gestum est aliorum hoc consilio et inuidie instinctu quam ex propria prioris dispensatione. Quod uero melius estimo, tam sapientis uiri prouida discretio presumptionis nostre ausum per eiusmodi uoluit corrigere et cohibere factum.

**[iv.] De quodam clerico a dolore dentium liberato.**

**B**eatum uero martirem suum eadem ipsa die diuina glorificare cepit clementia qua illum audax infestare presumpsit malitia, diuinoque inditio multa dignum ueneratione patuit, qua indignum proterua maliuolentia adiudicauit. Ipso namque die paschali quidam Willelmi uicecomitis clericus, Gaufridus nomine, grauissimo dentium dolore uexatus, trahente illum et ducente deuotionis affectu ad sepulcrum beati martiris aduenit. Magistre fidei instinctu particulam cementi accepit, dentes confricando tetigit, et dolore confestim ac si mali nichil habuisset mitigato, incolumis a sepulcro remeauit.

**[v.] De monacho a dolore consimili curato.**

Eodem ferme tempore Edmundus iunior monachus Norwicensis tam uehementi dentium urgebatur dolore ut nimis |

**35vb**

tumens gengiua manifesta doloris daret inditia. Is clericum prescriptum ad memoriam reducens per merita beati martiris itidem quasi curandus ad idem mox confugit asylum, ut dolori suo mendicaret remedium. Quod autem fide bona quesiuit, sine mora consequi promeruit. Vbi enim dolenti facie sepulcri

lapidem tetigit, dolore confestim sedato, omnem exinaniri sensit tumorem.

[vi.] De cuiusdam uiri religiosi uenerabili uisione.

Hisdem quoque diebus cuidam decoram et uenerabilem uidere contigit uisionem. Erat quippe Norwici monachus quidam uita et moribus religiosus, uir reuera cui multum credi deceat, Petrus Peuerellus nomine. Qui miles quondamin seculo regi diutissime seruierat Henrico, ac inter thalami sui annumeratus fuerat priuatissimos. Is in uisu nocturne quietis nocte quadam uidit se quasi in ecclesia existentem uidere et admirari turbam candidatorum innumerabilem cum uariis et consonis concentibus ecclesiam subintransem. Sub aduentu eorum tantus splendor radiabat quantum humanus oculus sustinere non poterat. Tum ille uni eorum uenusti aspectus uenerabili inter |

**36ra**

rogauit dicens: 'Que est, domine, gens hec tam admirabilis et decora cum tanta huc adueniens gloria?' Cui ille: 'Ecce,' ait, 'regina celi et mundi domina cum hac sua familia aduenit, amicum suum qui penes uos est uisitare dilectissimum. Iamque intro cum puellis abiit secretum cum eo habitura colloquium.'

Quo audito, monachus uehementer expauit, neque ibidem ultra morari ausus, ecclesiam exiit. Cumque uelut sibi uidebatur claustrum subintrasset et capitulo proximaret, odor inestimabilis aduenientis se infudit naribus. Transiturus uero capitulum cum, ut moris est, imagini dominice se inclinaret, intro prospiciens uidet gloriosam illam celi et terre imperatricem ad caput sepulchri aureo sedili regio ornatu adornato residentem, auroque ac gemmis incomparabili nitore renitentibus coronatam.

Ad cuius dexteram et leuam mire pulcritudinis due assistebant uirgines cereos accensos manibus tenentes. Coram illa beatus puer et martir Willelmus capite inclinato flexisque assistebat genibus. Cui gloriosa domini mater |

### 36rb

tercia sibi flores administrante puella, ex illis coronam plectebat admirabilem et paratam eius imponebat capiti. Hanc martiris beati gloriam dum intentius attenderet monachus, et inde multum miraretur, accessit ad eum uirgo que flores, ut dixi, administrabat. Et ait: 'Quid stupes uel quid miraris?' Et ille: 'Quia scilicet quid hic geratur ignoro et scire ualde desidero.' Cui illa: 'Ecce regina celi et domini mater patronum huic ecclesie a deo assignatum martirem Willelmum amicum equidem suum uisitare dilectum uenit, coronauit, eique pro libito curandi potestatem contulit. Vade ergo nunc, eumque a modo uenerare; quoniam dies uenient quando ipsius ope et tu maxime indigebis.' Quod et ita contigit, sicut posterius declarabitur. Quibus dictis, celestis illa uisio disparuit, et euigilans monachus que uiderat diligentius reuoluere cepit. Mane uero facto, que per uisum uiderat cum fratribus enarrasset, ab ea die et deinceps ceperunt plurimi sepulcrum sancti martiris plurimum uenerari et orationibus frequentare. Ex quibus nonnullos dicentes audiuius se ibidem sepissime suauissimi odoris sensisse fraglantiam ex illo uenerabili sacra |

### 36va

tissimi martiris sepulcro prodeuntem.

[vii.] *De quodam a languore diuturno curata.*

**N**ec multo post Claricia uxor Gaufridi de Marci et Geroldensium fratrum neptis

ad beatissimi martiris uenit sepulcrum desideratum infirmitatis sue querens remedium. Hec per aliquot dolore renum ac genuum laborauerat annos, nec per aliquos, licet in illis multum expenderit, curari potuit medicos. Veniens uero manibus se ducentium, immo magis ductu fidei ad illud uenerabile sepulcrum, aliquamdiu stans orauit ac deinde, genibus pro posse flexis, ea nudata nudo lapidi applicuit. Ad cuius confestim tactum memoratus membrorum dolor cepit mitigari, ut iam sentiret diu amissam sospitatem quasi diuisim membris refundi. Sicque factum est, ut que manibus alienis corpore inbecillis aduenerat, celesti operante medicina, nullius egens adminiculo incolumis rediret et sospes.

[viii.] *De altera a profluuio liberata.*

Post paucos deinde dies, ad festum sancte trinitatis, in octabis scilicet pentecostes, uenit Alanus de Sechhutha cum uxore sua Muriele, qui et que patruus et ma |

**36vb**

tertera Ricardi tunc subprioris Norwicensis erant. *Hec diuturna*<sup>85</sup> profluuii laborabat ualitudine, nec per tantum tempus, plurima licet adhibita medicina, egritudini sue remedium potuit inuenire. Veniens uero ad memoratum martiris sepulcrum, genua flexit, duas pro se et domino suo candelas optulit, et cum lacrimis salutem postulauit. Pura deprecantis oratio celos pulsauit, diuineque pietatis gratia mira uelocitate ad ima se contulit. Completa etenim oratione et cum summa deuotione deosculato sepulcri lapide,

---

<sup>85</sup> ccoe

statim stare sensit profluuium quod prius fluere nec cessabat uel ad momentum. Tum multo gauisa gaudio me uocauit, et quia me pre ceteris priuatum ac familiarem habebat, michi priuatim reuelauit quam repente uel qua egritudine curata sit.

[ix.] De puero morti proximo et meritis sancti Willelmi sanato.

Diebus illis infantulus filius Radulfi nepotis prioris Helye ad mortem egrotabat et iam hore supreme mors sola supererat. Vnde patri consultum est et matri ut in longum et latum ad mensuram pueri *festinantissime*<sup>86</sup> candela fieret, factam sancto Willelmo pro filii sospitate |

**37ra**

noueren[t, et pro]cul dubio statim pue[r]um i[n]colu]mem<sup>87</sup> incolumes recipere<sup>88</sup>. Confestim ergo, prout dictum est, candela conficitur, et paternis delata manibus ad sepulcrum sancti martiris uotaliter offertur. Regrediens pater filium se reperire gaudet incolumem quem pauloante dimiserat morientem.

[x.] Qualiter monachus dormiendi potentiam quam amiserat meritis sancti Willelmi recuperauit.

Circa idem tempus senior monachus Norwicensis diutina uexatus imbecillitate, Thomas nomine, cella iacebat infirmorum. Is amissa per triduum dormiendi potentia cepit grauiter laborare, et precipue noctibus, quibus nec ad modicum oculi eius ualebant quiescere. Multa igitur angustie maceratus pressura, se ad

---

<sup>86</sup> ccoe

<sup>87</sup> J&J recorded "in[col]umem". Microfilm shows "in[co]lumem".

<sup>88</sup> ccoe

gloriosi martiris Willelmi quem maxima diligebat deuotione conuertit suffragia, huiusmodi breuem fundens orationem: 'Domine sancte Willelme, si tante ut dicitur coram deo uirtutis et sanctitatis es, immo quia es, da mihi famulo tuo posse quiescere et quam amisi dormiendi potentiam recuperare. His dictis siluit, nullaque interposita dilatione oculis paulatim cecutientibus dormire cepit, et postmodum dormire. Sompni uero ac quietis suauitate recreatus, ubi uigilans | **37rb**

caput erexit, ad se conuocatis nobis deo et sancto Willelmo gratias agit, per cuius merita dormiendi potentiam quam amiserat recuperare promeruit.

[xi.] Quod domina Mabilia de Bec et filii eius Sancti martiris frequenter experti sunt uirtutem.

**P**er idem tempus domina Mabilia Beccensis Norwicum adueniens, tantarumque uirtutum famam animaduertens ad illud gloriosum beati martiris sepulcrum uenire studuit, precordialiter orauit, atque pie deuotionis studio de sepulcri lamina excussam secum asportauit partiunculam. Hanc summa custodire curauit diligentia uelut efficacem fidei sue fructum sibi ac suis frequenter profuturum. Quia uero fideliter sperauit, spes eius frustratoria esse non meruit. Quotiens enim ipsa uel filii eius ualitudinis alicuius incurrerent molestiam, continuo ad non insperatam quam fides administrauerat confugiebant medicinam. Atque inuocato dei et sancti martiris Willelmi adiutorio rasum et aqua benedicta distemperatum bibebant lapidem, ac mox leuamen atque repentinam diuine gratie experiebantur uirtutem.

[xii.] De uisione Ricardi Monachi et eius morte et recuperatione luminis.



Cum his et aliis pius martyr florere sic |

**37va**

inchoasset uirtutibus, inter tanta pietatis opera aliquantulum tamen eum  
 exacerbari et erga quendam sibi inobedientem contigit irasci. Idque, uelut  
 conicimus, eo maxime fuit, quoniam aliquos eius patientia cernebat abuti dum  
 tapetum et luminare prohibitum sibi necdum paterentur restitui. Vt hoc scilicet  
 facto et timorem eis incuteret et ad corrigendum quod male gesserant illorum  
 animos inuitaret. Illud igitur se moleste ferre certis intersignis declarare uoluit,  
 et per quendam Ricardum de Lunna monachum quidem Norwicensem priori  
 Helye mandare curauit. Porro Ricardus ille diebus illis tenebatur febribus  
 multoque acrius de die in diem torquebatur. Vnde nostro et quorundam aliorum  
 inuitatus consilio, ad sepedictum perrexit sepulcrum beati martiris ibique  
 nocturne uigilie uacans orationibus, ab ipso remedium poposcit sanitatis.  
 Dumque ibidem cum duobus excubaret famulis, subito capitulum niger intrauit porcus,  
 immo, ut a quibusdam creditur, sub specie porci diabolus. Qui ex improviso introiens  
 atque grunniens, assurgentibus famulis et forsitan exterritis, directo cursu ad monachum  
 iacentem cu |

**37vb**

currit, super eum [inopi]nato prosiliit, et dormitantem [mi]rum in modum exterruit.  
 Quo uiso statim insurgentes concurrunt famuli eumque capitulo uix expellunt. Ad  
 quem a claustro expellendum nonnulli accurrerunt monachorum, multisque per  
 claustum factis discursuum amfractibus, claustro eum uix tandem potuerunt excludere.

At, uelut plurimis conici potest circumstantiis, antiquus ille generis humani inimicus, qui semper sanctorum inuidet successibus eorumque 'calcaneo molitur' insidias, fortassis per materialem illum porcum, animal scilicet spurcissimum et sibi congruum, uel monacho uoluit illudere uel ad deuotionis eius excuciendum propositum ita eum proposuit exterrere. Interea capitulo ad sepulcrum memoratus iacebat egrotus, et contra illuscentem iterum dormitans auroram, in uisu uidit assistentem sibi sanctum Willelmum et dicentem: 'Cur aduenisti, Ricarde, uel quid queris?' Et ille: 'Quoniam infirmor, domine, et sanari cupio.' Cui martir: 'Nichil attulisti, nichil obtulisti, frater, sed tamen si te curauero quid remunerationis daturus es?' Contra monachus: 'Quid', inquit, 'domine, dabo, |

### 38ra

qui nil quod dare honorifice tibi possim possideo?' Ad hec martir: 'Die que candelarum dicitur natus candelas diligo, et ideo nimirum candelas quas habes requiro.' Cumque ille nullas se habere diceret, adiecit: 'Immo, frater, et quas non recte perquisisti habes, ex quibus aliquas grandiores ac pulciores, quas segregatas secretius abdidisti priuatim possides. Omnes siquidem habere uolo, et precipue pulciores illas quas tu fratris uxori dandas disposuisti.' Et monachus: 'Nequaquam, domine, fieri potest ut quas illi preparauit tibi tribuam; alteras uero, qualescunque tamen ille sint, me libenter tribuente suscipere non dedigneris.' Tunc in iram commotus martir subintulit: 'Ergo illam plusquam me diligis? Non recte, frater, diuisisti, dum quod paruipendis mihi, et quod appreciaris muliercule assignasti. Cur igitur ad me quasi curaturus a me uenis

quem ex corde non diligis? Pro certo itaque noueris quod tua me inuito nullatenus stabit dispositio. Presertim has et illas quas dixi candelas mane huc afferri consulo: quod si recusaueris procul dubio scias quoniam uelis nolis illas habebo. Vt ergo nostram in eas gratiam, et quaesitas affer candelas, et domno Thome familiari secretario meo trade custodiendas. |

### 38rb

Quod ubi fecerit, ei dicito u[t i]stas et quinque alias quas armario suo habet repositas meis usibus diligenter custodiat, quoniam in proximo est ut luminare mihi restituatur ante prohibitum. Porro Helye priori dicere non uerearis quod<sup>89</sup> ei fide bona consulo ut quamcitus dedecoris mihi illati honore congruo resarciat iniuriam, atque tapetum et lucernam mihi restituat ablatam. Deus utique uult, et ita fieri iubet. Verum si nullo adqueuerit pacto, immo et iussionem nostram paruipendere atque diuine dispensationi proterua presumpserit fronte contraire, non incertum habeat quod in proximo grauiter luat. Te quoque, quia petitioni mee adeo restitisti, hac denuntiatione<sup>90</sup> premunio quod inobedientie tue culpam tanta lues angustia quantam antea nunquam sensisti. Si uero et adhuc nec sic correctus mihi pro libito non satisfeceris, ratum habeas quod multo grauiora pacieris. Nunc igitur uade, et si sapis dicta mea animo fideliter inhereant tuo.'

His uisis, expergefactus Ricardus et uisione tam terribili perterritus die iam clarescente surrexit, in cella infirmorum abiit, et post unius hore spatium euocato cum plurimis nostrum priore, que sibi dicta uel |

---

<sup>89</sup> cc above the line

<sup>90</sup> ccoe

**38va**

iniuncta fuerant uniuersa enarrauit. Que tamen priori dici iussa sunt ei soli dicere curauit. Quibus auditis prior commotus aliquantulum et exterritus ueritatis indaginem diligentius exquirere disposuit, et super indictis quinque candelis me conueniens, si tamen eas me habere constaret, afferri iussit. Ego autem trium immemor quas ad sepulcrum sancti martiris die paschali allatas luminari tunc prohibito colligaueram et martiris nomine *intitulatas*<sup>91</sup> armario seorsum reposueram, duarum tantum memor quas, ut premisimus, domina Muriel de Sechhutha die festo sancte trinitatis obtulerat, eas solas me habere dixi et ad afferendum cucurri. Cumque armarium apperuissem, que nondum memoria exciderant due statim reperte sunt. Quibus repertis diligentius cepi querere si forte et tres que et haberi dicebantur contingeret inuenire. Quas nimirum, quia et ibi erant, ad inuentas, per memoratam inscriptionis intitulationem martiris esse cognoui; cognitias reliquis duabus coniunxi, atque completum ita quinarium ad priorem exultans ac plurimum admirans detuli. Quibus uisis prior hinc reuelatam ita secretorum ueritatem, inde minacem |

**38vb**

futurorum animo conferens sententiam, nunc applaudit et se risu gratulari simulat, nunc eum pauere pallens uultus demonstrat. Ita itaque tum secretorum reuelatione tum nuntio terribili permotus, in parte emollitus et in parte pristinam non deserens duriciem, de luminari prohibito sententiam aliquantulum relaxauit.

---

<sup>91</sup> cc above the line

Tapetum uero nullatenus reddi consensit. Nec multo post, superueniente febris hora, cuius ante mentionem feci Ricardus occupatus frigore membris toto cepit corpore concuti tantaque angustia quantam antea nunquam expertus fuerat iuxta beati martiris sermonem se sensit uexari. Et sic aliquandiu uexatus iacens inuentus est ac uelut emortuus. Cum uero a nonnullis aqua ubertim aspergeretur benedicta, ocitare tandem cepit, et post aliquantam horam, oculis languide apertis et recreatis spiritu membris, paulatim ad se rediit. Nos itaque, qui promissorum partem adeo efficaciter cernebamur compleri, suspensis mentibus ceterorum finem expectabamus.

**A**b illo siquidem tempore permissione prioris ad sancti martiris sepulcrum noctibus singulis frequentari lumen consueuit, et nonnullis interdum diebus, |

### **39ra**

quamquam inconcessis, candelas et cereos quos pia offerentium attulerat deuotio ibidem ardere contigit. Inter hec ubi ego Thomas, qui beati martiris tunc secretarius eram, in obsequio eius eas quinque quas supra meminimus candelas pene consumi cernerem, prescriptum Ricardum conueni, et illas quas mihi tradere iussus est interrogauit. Qui, nescio seu pigricia ductus siue in uisionis negligentiam iam dilapsus, ab hora in horam dare semper distulit, nec quandoque dedit. Contigit autem tunc temporis me ac domnum Ricardum de Ferrariis, qui postmodum Helie priori prior successit, quibusdam urgentibus causis in Hely proficisci, et peracto ibi quesito negotio die quinta Norwicum

reuertere. Porro interim eger ille Ricardus dum noctu quiesceret, iterum in uisu ei uultu apparuit iracundo beatus martir Willelmus dicens: 'Quid est frater, quod sic agere uoluisti? Quare prout iussi domno Thome candelas non dedisti? Scio utique, scio animi tui proteruam pertinaciam. Nequaquam ut tu proposuisti sed longe aliter fieri continget. Quoniam nec tibi tradendi facultas subpeditabit, nec fratris uxor ut disponis eas de |

### **39rb**

manibus tuis suscipere poterit. Ipsa quidem tui causa Norwicum ueniet, sed te minime inueniet. Scias autem Thomam meum modo absentem sed post diem tertium reuersurum quas iussi candelas ab altero suscepturum. Nunc igitur uade, atque inobedientie culpam debita luas pena.' Porro sub his uerbis eum ceu palme dorso in fronte grauiter percussit, grauemque fronti dolorem inflixit atque ait: 'Ecce, crastina sabbati dies, suprema tibi et fatalis imminet! Confitens ergo age dignam de commissis penitentiam, ut saltim uel in illa per dolorem hunc purgatus transitorium et ueniam optinere merearis et supplicium euadere sempiternum.' Ad hec Ricardus terrore percussus excitatur, sentitque statim dolorem a fronte inchoantem in caput refundi ac postmodum a capite in cetera deorsum membra paulatim deriuari. Surgentibus mane monachis surgit et ille, atque imbecillia sustentans baculo membra, capellam infirmorum subiit, et quibusdam ad se uisitandum uenientibus, que uiderit, quid sentiret, cum lacrimis enarrauit. Tunc quendam fratrem secretius euocans, corde compunctus ante mentis oculos pristi |

**39va**

nam reuocat uitam, et iuxta sancti martiris monita memoriter male gesta retractans confitetur, atque compuncti penitentiam cordis profusis indicauit lacrimis. Sicque per illam oris confessionem ac puram cordis penitentiam eum a domino optinuisse<sup>92</sup> credimus ueniam. Modico postmodum more interuallo, dum baculo sustentatus per cellam infirmorum se ageret, moriendi hora superueniente ac uiribus pre dolore iam deficientibus, subito concidit et rem se agere supremam uultu funereo demonstrauit. Quid inquam multa? Moritur frater, et morienti conueniunt ceteri, moremque funeri exhibentes, die consequenti sepeliunt. Illud quoque mirabile tunc accidit, quod scilicet die illa sabbati, cum pro mortuo classicum pulsaretur, iuxta martiris presagium et fratris eius uxor illius causa Norwicum uenit: sed quia uiuentem non inuenit, fructu frustrata laboris domum cum dolore remeauit. Vbi uero post tridie memoratus de Ferrariis Ricardus et ego domum aduenimus et que circa fratrem interim gesta sunt cognoscentes nimio terrore concussi sumus. Aduenienti uero mihi per manus Dionisii camerarii tradite sunt candelae de quibus in precedentibus tanta facta est mentio. |

**39vb**

Sicque, prout martir predixerat, reuera contigit fieri: quoniam illas et non ab illo cui iussum fuerat, sed aliena mihi manu contigit tradi. Vnde accidit ut gloriosus Christi martir ab ea die in reliquum maiori frequentaretur timore ac reuerentia,

---

<sup>92</sup> ms: optinuisse

et multiplicatis sub uniuersorum cordibus reuerentie incrementis, pullularet et cresceret erga ipsum pie deuotionis affectus.

[xiii.] Quomodo Willelmus sacrista Norwicensis a dolore capitis, a surditie auris, et obscuritate uisus curatus sit.

Morabatur eo tempore Willelmus sacrista Norwicensis *in*<sup>93</sup> cella infirmorum, grandi quidem ac diuturna profluentis fici detentus egritudine. Interdum quoque per illud uirgule uirilil membrum sepissime liquidum et plerumque coagulatum emingebat sanguinem. Iamque per huiusmodi corrupte nature incommodum gradatim in tantam dilapsus est morbi ualitudinem, ut iam doloris uehementia caput a dextera quasi dimidiatum inutile redderet, oculo uisum perturbaret, et aure assiduo quodam oppleta tinnitu naturalem illum auditus meatum surditie pigra obstrueret. Vnde a nobis commonitus cereum admodum grandem sibi parari iussit ac de |

#### 40ra

prima noctis uigilia ad illud iam tunc uenerabile sancti martiris sepulcrum ueniens cereum accensum optulit, atque ibidem peruigil in orationibus pernoctauit. Orabat autem ad dominum ut gloriosi martiris sui suffragantibus meritis et capitis dolorem mitigari, uisumque sibi pariter et auditum reparari experiretur; et quia sub eius animo fides spei cooperabatur, quod credidit et sperauit sine dilatione optinere promeruit. Mane etenim capitis dolorem sensit mitigatum, oculusque et auris diuine perceperunt recreationis antidotum. Vbi

---

<sup>93</sup> cc above the line



igitur se curatum capite comperit, cum leticia ab illo medicabili regressus sepulcro sancti martiris laudes quantis potuit efferre preconiiis non cessauit. Attendat inter hec diligens lectoris sollertia magis facti sic acti rationem et ordinem quam maliuolam detrectatorum garrulitatem. Siquidem dum hunc plurimis detentum incommodis non funditus sed in parte curatum fuisse audit, quid aliud ex his concipiat nisi quoniam in talibus nichil sine causa contingat? Consideret, inquam, primo quia intentione ductus ad sepulcrum uenit, secundo quid petiit, tercio in quo exaudiri promeruit. Ex quorum collatione for |

#### 40rb

tassis percipiet unde totius questionis scrupulum dissoluat. Nempe uenit eger, sed ut spiritualibus orationum mercibus celestem corpori compararet medicinam. *Exin*,<sup>94</sup> licet circa inferiora grauius ut premisimus pateretur, nil tamen aliud exorare tunc uenit, nisi ut dolore capitis lenito languescens iam uisus repararetur et auditus. Denique in eo nimirum exaudiri meruit in quo fideliter postulauit. Vnde et conici potest quia et si de reliquo pariter postulasset, et illud fortassis pariter optinisset. Sepe audiuius et legimus nonnullos egrotantium ita sanctorum sanatos meritis ut et in parte curati et ex parte sint destituti. Quid ergo mirum si sanctus martyr Willelmus diuine pietatis administratione fratri egrotanti in hoc tantum subuenit de quo tantum requisitus fuit? Et quid mirum si sic in parte salutem prestitit quod reliquum in aliud tempus reseruauit? Quod autem in posterum dilatatum extitit, non incongrue cum ad id uentum fuerit suo adnotandum loco distulimus.

---

<sup>94</sup> ccoe

[xiv.] De quadam ab egritudine diuturna liberata.

Tempore illo quedam Alditha Norwici manens *Toke*<sup>95</sup> cerarii uxor |

**40va**

gravi quidem et diuturna detinebatur ualitudine. Singula nempe membra adeo doloris occupauerat uehementia ut nec hora minima uel minimam quietem perciperet, nec sine baculo gressum figeret, *nec*<sup>96</sup> omnino aliquid operis manibus efficere posset. Cumque sub tanta egritudine dimidium consumpsis<sup>97</sup> annum, amicorum consilio ad salubre se transtulit consilium. Grandem igitur fieri iussit candelam, quam mox ut beato martiri Willelmo uouit, uehementem illam doloris angustiam mitescere sensit. Inuitata itaque talibus salutis sue primiciis, ad illud iam famosum martiris sepulcrum super presenti gratias relaturo beneficio, opemque de cetero petitura statim cum candela properauit; optulit, orauit, domumque regressa breui conualuit.

[xv.] De altera per uisum miro modo curata.

Fuit diebus illis Norwici mulier quedam paupercula in hospitali quod Brichtiue dicebatur iacens, morbi diuturna laborans ualitudine, ac sui omnino impotens.

Erat quippe toto inflata et ulcerosa corpore ac tanquam elephantino percussa incommodo miserabile et horrendum intuentibus prebebat spectaculum.

Cumque per annum et amplius tali ac |

**40vb**

---

<sup>95</sup> ccoe

<sup>96</sup> ccoe

<sup>97</sup> ccoe

tanta laborasset egritudine, in uisu nocti uenit ad illam beatus martir Willelmus et ait: 'Tue compassus miserie misereor ui, mulier, tuoque languori salutare uenio conferre remedium.' Tunc a capite per membra singula medicabilem illam deducens dexteram uniuersum tam subito lenire uidebatur dolorem, ac si olle feruentissime frigidissimam iniecisset aquam. Manum preeuntem salus conseqebatur uelocissima, et ad digitorum medicantium presentiam fugiens excedebat infirmitas. Conuersusque ad illam martir ait: 'Ecce sana facta es. Age gratias deo ac mihi quoque, per cuius manum te diuina curauit gratia, proprioque labore adquisitam mihi afferre non differas candelam.' Expergefata mulier dolorem mitigatum continuo sentit, et quod per uisum dormiens uiderat non aliter se habere uigilans exultat. Surgens igitur sana, deo ac liberatori suo gratias egit, labore manuum candeles precium adquisiuit, et cum illa ad martyris sepulcrum ueniens optulit et gratulabunda recessit.

[xvi.] *De muto nato et curato.*

**E**rat iterum Norwici Colobernus quidam satis equidem honestam licet pauperem cum uxore Ansfrida nomine ducens uitam. Hi |

**41ra**

filium habentes fere septennem, sed a natiuitate mutum, dum nocte quadam pariter quiescerent, intempesta noctis hora unoque eiusdem hore momento a quadam reuerendi uultus persona per uisum pariter admoniti sunt ut memoratum filium suum crastino ad sancti martiris sepulcrum adducerent, ubi et super eiusdem salute congauderent. Mane igitur facto sompnum sompno

conferentes sicut in sompnis admoniti fuerant, cum filio muto ad memoratum properant sepulcrum. Cumque diutius in oratione inibi una perstitissent, et tandem per manum pueri candelam optulissent, puer deosculato sepulcro ad patrem se conuertens et matrem in loquelam subito prorupit maternam, ut scilicet domum regrederentur rogans. Quo audito pater ac mater se a lacrimis pre leticia continere non poterant. Nos quoque qui aderamus talia considerantes pietate compuncti fleuimus. Cumque nobis tum uisionem tum rei aperuissent euentum, cum filio iam non muto gratulantes reuertuntur, et nos dominum in sancto martire suo Willelmo magnificum collaudauimus.

[xvii.] *De puero a dissenteria curato.* |

**41rb**

Cum tantorum [fa]ma<sup>98</sup> miraculorum magis ac magis quasi pullulando crebresceret, atque uniuersorum iam aures circumquaque pulsaret, ceperunt plurimi ad sepulcrum illud salubre undique confluere, uotisque et orationibus diuina ibidem beneficia postulare. Inter quos quidam Robertus Palmarius Norwicensis illuc ductu fidei aduenit, filium annuo dissenterie laborantem incommodo adduxit. Cui cum puluis de cemento illius sancti sepulcri aqua distemperatus benedicta ad hauriendum daretur, statim et dolorem leuigari<sup>99</sup> et uigorem repentinum membris iam effetis paulatim sensit refundi. Pater autem nobis postmodum retulit, ab illa die filio dissenterie cessasse fluxum, qua pariter cum sacro potu sanitatis quoque hausisset remedium.

---

<sup>98</sup> as noted by J&J and visible on the microfilm

<sup>99</sup> ccoe

[xviii.] *De muliere quadam a diuturno languore curata.*

**E**rat quoque in regia uilla que Ormesbi dicitur quidam Galterus cognomento Flotberd, qui diuturna ualitudine laborantem habebat uxorem. Ea per annum grauissimo cordis ac membrorum afflicta dolore ad extremum tandem defectum, quasi pelle sola ossibus adherente, deducta est. Ab ipso autem sacro martire Willelmo per uisum |

**41va**

admonita se n[au]igio Norwicum asportari fecit. Quo ueniens, manibus suorum ad sepe memoratum sancti martiris sepulcrum deducitur. Oratione facta, post candele oblationem ibidem obdormiuit et continuo melius habuit. Postea uero ductu suorum ad hospicium recessit atque post triduum rediens candelam ad sepulcri mensuram factam optulit, plenumque tunc sub puncto temporis diutini languoris remedium suscepit. Et factum est, ut que alieno sustentata adminiculo aduenerat, propriis iam confisa uiribus sola gradiens discessit, domum rediit, et exinde prescripte ualitudinis incommodum non sensit.

[xix.] *De nautis in mari liberatis.*

**N**autis quoque quibusdam de Gernemutha tempestate marina periclitantibus meritis beati martiris diuina subuenit pietas. Qui nempe dum essent in mari, dum ualida inualescente procella insolitus fluctuum horror mortem minaretur sub uestibulo mortis iam positi diuinam unanimiter exorant misericordiam, sanctique pueri ac martiris Willelmi pia deprecantur suffragia. Mira res! Nam, uelut ipsi nobis postea retulerunt, |

**41vb**

continuo illis sanctum martiris nomen acclamantibus eique uota uouentibus, uniuersa siluit tempestas. Illi uero tranquillitatem meritis sancti Willelmi tam subito sibi restitutam considerantes, dominum in sanctis suis gloriosum glorificauerunt, et confestim prospero cursu sani et incolumes ad litus peruenerunt.

[xx.] *De paupercule mulieris porco curato.*

**N**on solum morbis hominum, uelut in precedentibus patet, sed et animalibus brutis sancti Willelmi meritis diuina subuenit benignitas: que, sicut uniuersa condidit, ita nimirum singula queque moderator atque disponit. Nullique creaturarum quamquam per modice seu uilissime bonitatis sue subtrahit manum, que uniuersas intra maiestatis sue concludit sinum. Proinde mulier quedam paupercula Norwici porcos alebat, quibus adultis, eorum precio uictui suo compararet necessaria. Illos uero contigit infirmari atque, mortuo iam uno, mors imminens minabatur et alteri. Cernens ergo mulier his se rebus destitui quibus maxime sperabat adiuuari, spe recuperandi fere destituta uehementer ingemuit, et ad opem beati |

**42ra**

martiris tandem confugit. Ad cuius sepulcrum ueniens cum lacrimis orauit, candelam optulit, atque exinde regressa, porcum quem morti proximum tristis reliquerat iam sanatum et incolumem repperiens exultat.

[xxi.] *De bobus morbidis saluti restitutis.*

**E**odem tempore Dionisii camerarii monachorum Norwicensium boues consimili clade contigit emori. Quo incommodo turbatus ille iussit morbosos boues in longum et transuersum filo circumdari et ad fili mensuram sancto martiri Willelmo candelam fieri. Factam itaque ad sepulcrum eius attulit et optulit, atque ab ea hora cladem in bobus cessare cognouit. Consimili quoque modo quidam equestris ordinis Goscelinus cognomine Grossus, dum boues suos pestifera lue carpi sensisset, nonnullis iam mortuis, superstitibus reliquis subuenire properauit. Nec mora, filo boues circumdedit, in nomine sancti Willelmi candelam fieri iussit, factamque ad sepulcrum eius attulit. Denuo domum ueniens cum boues nouisset iam conualuisse, exinde sacri martiris Willelmi uirtutem uniuersis predicauit, quam se in bobus manifeste experire contigit.

[xxii.] *De quadam Yda mire curata.* |

**42rb**

**P**er idem tempus Ida uxor Eustachii monetarii Norwicensis genibus per triennium gutta profligatis egrotabat. Ex in per membra discurrens ac seuiens, in dextrum tandem humerum concendit morbus, et postea brachium pariter occupauit. Inualescente uero dolore, in tam horrendos prorupit clamores ut amens putaretur, et ita quasi ad extremum deducitur. Et euocato presbitero post confessionem pre timore mortis dominici corporis se muniuit sacramento. Mane autem facto recordata sancti martiris Willelmi, qualiter potuit ad sepulcrum eius se deduci fecit. Quo perueniens iuxta procubuit ac statim horrendis clamando clamoribus, pre

angustia nimia per pauimentum capituli uolutabat. Deinde post modicum fatigata quieuit, nomenque sancti Willelmi alta uoce sepius inuocans, salutis remedium postulauit. Tunc acceptam candelam optulit, et deosculato sepulcro sub ipso quo lapidem tetigit articulo in oculis assistentium apparuit incolumis. Et post aliquantam horam, que illuc ductu suorum uix aduenerat, se solam iam regredi posse miratur et exultat. |

**42va**

[xxiii.] *De uisione quadam memoranda.*

**E**rat quoque Norwici Stanardus quidam cognomine Wrancberd, cuius filia Ida nomine nocte quadam uenerabilem ac memoria non indignam uidere meruit uisionem. Vidit quippe sanctum Willelmum ad caput sepulcri sui inter tres uirgines stantem ac cereum illuminatum tenentem. Virgines autem circa ipsum in tribus stabant partibus, cereosque tenebant accensos. Cui per uisum ea consideranti una uirginum ait: 'Deprecare, puella, sanctum quem cernis martirem Willelmum, qui in despectum mortis Christi uenerabili coronatus est martyrio, quatinus deum apud quem plurimum ualet pro te interpellat. Illud quoque noueris, quod ipse unicus ac<sup>100</sup> peculiaris Norwicensibus a domino datus est patronus; et ego sum uirgo Katerina que hec tibi denuntio.'

Ad hec expergefata puella patri ac matri uisionem confestim retulit, quam et nobis crastino pater ipse insinuare curauit. Sed unde magis admiramur, ante illam horam

---

<sup>100</sup> cc above the line



pater ac mater atque puella, uelut ipsi asserebant, proprium sancti Willelmi nomen penitus ignorabant.

[xxiv.] *De quadam Goldeburga curata.*

Diebus illis mulier |

**42vb**

quedam Goldeburga nomin[e, c]um multis egrotasset diebus, de uirtute martiris confisa, membris uix se sustentantibus, ad sepulcrum eius cum candela uenit, et cum lacrimis aliquamdiu in oratione persistens egritudini sue remedium postulauit. Vbi clementis dei cooperante gratia meritis beati martiris celestem medelam paulatim membris sensit infundi, atque infra dies paucos reffectis uiribus plenam optinuit sospitatem.

[xxv.] *De puella febribus liberata.*

**B**artholomeum quoque de Creic uirum egregium tam militia quam nobilitate famosissimum uirtus sancti non latuit martiris. Cum etenim filia eius paruula forti febrium estu teneretur, egrotanti filie mater condolens candelam in nomine sancti Willelmi propriis fieri manibus studuit et pro salute filie offerendam uouit. Mira res et festina diuine uirtutis ostensio! Mox enim ubi candela fieri cepit, sub primo digitorum motu estus subito ita cessauit febrium, quemadmodum ebulliens olla compesci solet per aque frigide iactum. Mater ergo pro filia candelam offerri fecit eaque ulterius febris incommodum non sensit.

[xxvi.] *De ydropico sanato.*

Venit et quidam ydropicus de Tudenham |

**43ra**

ad sancti Willelmi sepulcrum ut egritudini sue salutis consequi mereretur remedium. Vbi stans aliquandiu orauit, candelam optulit, uentrisque iam tunc lenito dolore, multo alacrior quam uenerat recessit. Postea uero, dum diligentius rei euentum inquireremus, uicinie relatu curatum agnouimus.

[xxvii.] *De puero imbecilli curato.*

Sub tanta egrotantium confluentia uenit quoque inter ceteros quidam Rogerus de predicta Tudenham cum uxore Godiua. Hi filium decennem toto corpore inbecillem attulerunt, quia gressu proprio illuc uenire nequaquam poterat, quoniam a multis diebus se mouere seu conuertere impotens erat. Talem igitur ac fere emortuum cum planctu et fletu maximo, dum parentes eius cum candelis attulissent, super sepulcrum a capite martiris in conspectu nostro deposuerunt. Post breuis uero spacii orationem a parentibus leuatus, se iam melius habere testatus est. Quippe qui antea in nullam se partem conuertere nec alieno absque adminiculo in terram gressus ualebat uel ad modicum defigere, per se solus se tunc conuertit, deo ac sancto martiri gratias agens, cum |

**43rb**

parentibus pre gaudio lacrimantibus domum regressus est, et in breui conualuit.

[xxviii.] *De quodam Hildebrando curato.*

Eisdem ferme diebus Ildebrandus Norwici satis cognitus, et Pauli monachi Norwicensis germanus, infirmari cepit, et inualescente incommodo in breui lecto se contulit. Cumque ita diebus non paucis sui iacisset inualidus, die quadam

seuiente per artus molestia tandem ad extremum deduci uisus est. Inito itaque consilio, amici qui aderant continuo candelam consulunt fieri et pro salute infirmi ac sacri martiris sepulcrum deportari. Quod ubi sine dilatione completum est, ipsa hora egrotus conualescere cepit atque post modicum sanitati pristinae restitui meruit. Presertim, sicut eorum qui egrotanti et conualescenti presentes affuerant relatu didicimus, ipso scilicet temporis instanti morbi constat acerbitatem esse lenitam, quo et candelam sancto martiri contigit fuisse oblatam.

[xxix.] *De clerico et palefrido sacriste Christi Cantuarie curato.*

**U**enerat quoque sub idem tempus a Cancia in Nordfulc ad domesticam curam exequendam sacrista sancte Trinitatis Cantuarie et Norwicum forte diuerterat. |

**43va**

Contigit autem dum ibi moraretur, et palefridum eius infirmari, et clericum quem socium habuerat grauissimam incurrere ualitudinem, ipsa scilicet nocte cum crastino proficisci proponebat. Itaque mane surgens tanquam ad profectionem monachus, equum et socium infirmatos offendit, atque nimirum super hoc uehementer condoluit. Vnde, tanta compulsus necessitate, multa cum deuotione animi ad suffragia profugit sancti martiris Willelmi, et quod pie ac denote orando petiit, diuina largiente gratia mox impetrare promeruit. Inde contigit ut, socio et equo sanitati restitutis, extra spem continuo iter aggredi posset, tanquam antea nichil impedimenta pertulisset.

[xxx.] *De quadam Emma languente sanata.*

**P**er idem tempus Emma quedam de Wichtuna graui premebatur egritudine. Hec cum mira magnalia martiris Willelmi fama promulgante audiret, aliorum inuitata successibus, spe salutem iam tenens surrexit et opis gratia ad memoratum sepulcrum abiit. Quo perueniens cum summa supplicationis deuotione orauit, candelam optulit, et in spe sanitatis recessit. Statimque |

**43vb**

sub ipso reditu se pro certo comperit curatam, atque ita meritis sancti Willelmi diuinam cognouit cooperari gratiam.

[xxxii.] **Quod plurimi abrasi sepulcri puluere bibito curati sunt.**

**C**um igitur fama sacri martiris longe lateque discurreret, quantique meriti uel uirtutis apud deum ipse sit omnibus propalaret, non modica turba cepit egrotantium gloriosum sancti Willelmi frequentare sepulcrum. Alii post alios ueniunt, et abeuntibus illis uenientes et alteri succedunt, quoniam frequentes precedentium successus ad spem bonam subsequentes inuitabant. Verum sub tanta uenientium frequentia tum febricitantes, tum dissenterie morbo languidos, tum uariis uexatos infirmitatibus, abraso sepulcri lapide et cum aqua benedicta bibito, quamplurimos curatos agnouimus, preter illos etiam quorum in precedentibus curam meminimus.

[xxxiii.] **De quodam ab inflatura gutturis curato.**

**D**um circa sepulcrum suum gloriosus martir tam crebris choruscaret miraculis non uniuersa explanare potuimus, tum quia pleraque nostram contigit noticiam subterfugere, tum quia de nonnullis plenam ueri certitudinem non preualuimus

indagare. Porro ea presenti placuit interserere libello que nos uisu sine auditu |

**44ra**

pro certo cognouimus, queque relatu non indigna deuotis cordibus non displicere scimus. Itaque Norwici puer quidam Alurici filius de sartrino monachorum graui quadam et horribili gutturis et faucium egrotauerat inflatura: adeo quidem ut miserabilem intuentibus offerret aspectum. Cumque morbi qualitas spem salutis prorsus excluderet, ductu matris ad sepulcrum uenit gloriosi martiris. Quem nos considerantes egritudini tam acerbe compassi sumus, rasumque de sepulcri lapide puluerem ei cum aqua benedicta bibendum dedimus. Sacro uero potu paulatim descendente in uiscera, diuine uirtus gratie successit festina. Continuo etenim ad potus susceptionem eger et doloris lenimen sensit, et in breui a tumore conualuit, nullamque prorsus inflature notam in se alicubi reseruauit.

**N**unc itaque, aliquanta iam miraculorum explicita partiuncula, interim dicendi finem facimus, dum defessus cursu equus uel modice quietis interpositione uires resumat, uiribusque resumptis crastini itineris alacrius aggrediatur laborem.

**Explicit liber tertius. |**

**44rb**

**Incipiunt capitula libri quarti.**

[i.] **D**e induratione prioris Helye atque eius morte.

[ii.] **D**e filio cuiusdam Gurwanni curato et de ceco illuminato.

[iii.] **D**e Radulfo monetario Norwicensi ab egritudine curato, et de monetariorum ministro furibundo et sanato.

[iv.] **D**e Agnete Reginaldi uaccarii *uxore*<sup>101</sup> a sanguinis fluxu liberata.

[v.] **D**e quadam Botilda a pedum grauissimo dolore liberata.

[vi.] **D**e filia fabri de Poswic quod egra ueniens sana redierit.

[vii.] **Q**ualiter sepulcrum suum mundissime attrectari sanctus martir per uisum monuerit atque custodiri.

[viii.] **Q**uo miraculo tapetum sullatum recuperauerit.

[ix.] **D**e reuelatione sanctorum dentium et de curatione Willelmi sacriste: ac de morte eiusdem post uoti infractionem.

[x.] **Q**uomodo mari periclitantibus martir subuenerit et matrem ac filium curauerit.

[xi.] **D**e quadam a languore diuturno curata et de alia que uisum amissum recuperauit, et

[xii.] **d**e presbitero cum familia curato et de uxore Ricardi de Bedingeham, et

[xiii.] **d**e puellula insana et pluribus aliis, per merita sancti martiris curatis.

**Incipit liber quartus.**

**M**ultiplicatis diebus multiplicabantur et miracula et crebrescente uirtutum gratia, egregii martiris Willelmi nomen latius iam atque longinquius protendebatur. Qua de re non mirari non possumus prudentissimi uiri prioris scilicet Helye animum |

**44va**

---

<sup>101</sup> cc above the line

adeo induratum ut nullatenus ab eo possit extorqueri ut tapeti uelut supra  
docuimus tam uiliter sancto Willelmo sublato dedecus congruo corrigeretur honore.  
Atque id nequaquam omnino silere possumus, et ipsum scilicet per uisum aliquoties  
correptum, et per nonnullas aliorum uisiones de reddendo tapeto sepiissime  
commonitum, nec tamen his<sup>102</sup> eius duriciem contigit emolliri, ut scilicet debitus sacro  
martiri bonos contingat restitui. Vnde aliquorum super hoc estimationem sollicitari non  
admiror qui suis fortasse cordibus dicant martirem quidem Willelmum illatam sibi  
indurati prioris iniuriam non immerito per ire sue punisse uindictam. Sic enim a multis  
traditur, et martirem super hoc illi fuisse comminatum, atque illius illico consecutum  
interitum. Quisquis autem super eo sic et sic autemet seu qualiscumque causam  
diuinam ad id inclinauerit dispositionem, hoc tamen nos pro certo tenemus quoniam  
senii eius dies finis anticipauerit immaturus. O reuera laudabilem uirum cuius uite  
sobrietas et morum modestia tocius religionis erant speculum! Qui tam diuina quam  
liberali pollens scientia sapientissima |

#### **44vb**

prudencie sue prouidentia Norwicensem illustrabat ecclesiam. O itaque uirum  
planctu multo plangendum cuius utique uita uite nostre subsidium fuerit  
pernecessarium, et mors immatura luctuosum nobis incussit detrimentum. Obiit autem  
undecimo kalendis Nouembris, cuius ueneranda uenerabilis uite merita et mortem eius  
in conspectu domini preciosam fecerunt et nos super eius salute non reliquerunt  
incredulos.

---

<sup>102</sup> ms: is

[ii.] De filio cuiusdam Gurwanni curato atque ceco quodam illuminato.

Eisdem ferme diebus mulier quedam Londoniensis ter a beato Willelmo per uisum premonita quam opus sibi ab ipso iniunctum exequi uoluisset, tandem ut ei iussum fuerat Norwicum uenire curauit. Gurwannum pelliparium quesiiuit, inuenit, et inuento ait: 'Que ante hanc diem nunquam Norwicum nouerim ecce Norwicum a Londoniis tibi Gurwanne et uxori tue missa pro nuncio adueni. Mandat utique per me uobis gloriosus dei martir Willelmus, quod quia quinque filios morte intercipientem amisistis, uobis super tanto nimirum incommodo dolentibus, et ipse pietatis affluens uisceribus plurimum compatitur. Vt igitur sexto qui |

**45ra**

uobis uix superfuit et per xviii ebdomadas iam egrotauit gaudeatis, idem beatissimus ad sepulcrum suum nos inuitat martir, ac pro salute pueri candelam afferre et sibi offerre admonet. Preterea precipit quatinus quotannis puer quoad uiuet in die natiuitatis sancte Marie debitum sibi capitis uectigal exsoluat.'

Hoc itaque nuntio exhilarati Gurwannus et uxor eius mox mandatum exequi accelerant et de festina filii incolumitate exultant. Sed neque silentio

pretereundum est quod eodem Gurwanno referente didici, quod maxime scilicet famis et mortalitatis diebus cum aliis in domo sua pauperibus cecum quendam ipse habuerat. Is a beato Willelmo sub recenti adhuc martyrii eius tempore per uisum admonitus est, quatinus tres de spiritu sancto missas cantare faceret et sub tercia proculdubio uisum recuperaret. Quod ubi ceco insinuante isdem cognouit Gurwannus euocato presbitero tribus diebus tres cantare missas fecit; in quibus ad honorem sancte



trinitatis tres denarios cecus optulit atque sub tertia oblatione (mirum dictu) sicut ei promissum fuerat uisum recuperauit. |

**45rb**

[iii.] De Radulfo monetario Norwicensi sua curato egritudine et ministro eius furioso sanato.

Sub idem tempus Radulfus monetarius Norwicensis grauissima grauabatur egritudine. Is multorum inuitatus exemplis uotum beato Willelmo uouit, soluit, ac statim conualuit. Cui cum plenam recuperasset sospitatem per uisum gloriosus dei martir apparuit dicens: 'Ego sum Willelmus puer qui te dei nutu curauit: mihi gratias age et deuotus existe. Id quoque tibi iniungo quatinus Thomam monachum custodem et secretarium meum conuenias ac dicas, ut confortetur nec deficiat, studiosus et diligens in seruitio meo perseueret, quoniam gratum habeo obsequium quod mihi sua deuotio exhibet.' Que per uisum mandata et ab eodem Radulfo mihi intimata, ego Thomas summa obseruare studui diligentia. Contigit quoque per idem tempus dum monetarii Norwicenses operi suo insisterent, subito sub oculis eorum unus de ministris demonio arreptus adeo male se habuit ut ipsum fortibus mox astringi uinculis oporteret. Qua de re alii sani capitis pro salute socii preces et uota sancto martiri fuderunt, atque confestim ad uotum nulla |

**45va**

interposita mora iuuenis liberatus est.

[iv.] De Agnete Reginaldi uaccari uxore a sanguinis profluuio liberata.

**V**enit et die quadam Agnes uxor Reginaldi qui Norwici uaccarius cognominabatur ad sancti Willelmi sepulcrum egritudini sue grauissime ac diuturne petitura remedium. Hec annis quinque fluxu menstruo laborauerat atque in medicis nichil sibi uel parum proficientibus non modicam expenderat pecuniam. Veniens ergo cum multa deuotione et mentis amaritudine in oratione diutius stetit opemque quam postulauit absque dilatione efficaciter optinere promeruit. Mox enim ubi post oblationem candele genibus flexis sepulcro labia impressit, puncto temporis fluxus molestiam secreta quadam dei uirtute stagnari comperit, et exinde regrediens sancti Willelmi meritis manifestam dei uirtutem se sensisse predicauit.

[v.] De quadam Botilda languente et curata.

**E**grotauerat et quedam Botilda Norwici uxor Toche pistoris atque per multum *tempus*<sup>103</sup> tanto pedum tenebatur dolore ut humi nullatenus ualeret gressum defigere. Vnde quia domo egredi et sancti martiris sepulcrum pro uoto adire non |

**45vb**

poterat, pro uxore dominus ire festinat. Itaque ueniens ille ac diutius in oratione persistens uxoris salutem deuotis poposcit precibus: atque post oblationem candele se exauditum non diffidens domum regreditur. Quo adueniens sanam et incolumem uxorem reperit ipsamque sanitatis eius horam esse cognouit qua candelam sancti martiris sepulcro superposuit.

[vi.] De filia fabri de Poswic languente curata.

---

<sup>103</sup> ccoe

**E**rat quoque in uilla que Postwic dicitur faber filiam habens male se habentem grauissimoque per multos dies languentem incommodo. Hec multorum relatu de tantis salutiferi martiris uirtutibus famam audiens, fidei tacta instinctu quomodo potuit ad sanctum sancti Willelmi sepulcrum properauit. Quo perueniens et candelam dextera tenens tota mentis orauit deuotione, lacrimosisque precibus egritudini sue postulauit remedium. Oratione denique facta genibus flexis candelam optulit ac puncto temporis quo lapidi oscula impressit, pristina sanitati subito se restitutam comperit.

[vii.] **Quod sepulcrum suum mundissime attrectari sanctus per uisum monuerit et custodiri.**

**D**iebus illis cuidam bono et reuera credibili uiro gloriosus puer et martir

Willelmus apparuit et ait: 'Nuncius esto meus |

**46ra**

et crastina dominica ad sepulcrum meum uade, atque ibi assistentibus predica ut solito maior mihi exhibeatur reuerentia. Nonnulli etenim sepulcri mei lapidem siue pallium lutuosis pedibus tangere immo et maculare non uerentur, atque inhonestis plurimorum sputis circa me pauimentum sordescit. Thome autem meo denunciare cura quatinus sepulcrum meum accuratius obseruet, et aduenientibus qua reuerentie modestia mihi assistere debeant denuntiet.' Hec ubi a uiro mihi denuntiata sunt ea summa obseruare diligentia studui, et exinde in eius obsequio multo deuotior permansi.

[viii.] **Quo miraculo tapetum sublatum recuperauerit.**

**O**pere precium est deuotioni propalare fidelium unde incitata sui semper accipiat incrementum. Dum etenim pia sanctorum gesta sepius audiendo percipit, inde

deuotionis nostre igniculus quasi quodam pietatis afflatu magis accenditur et magis amando ignescit. Igitur diebus illis contigit Willelmum uicecomitem tunc Norwicensem maxima commotum iracundia in quendam Eduardum et Robertum fratres grauiter inuehi. Qua ductus ira, dum eos comprehendere disponderet |

#### **46rb**

quoniam fuga sibi salutem parauerant, nequaquam comprehendit, bona uero eorum que inuenit uiolenter dirripuit. Dum autem moraretur Robertus in domo Ricardi decani de Bedingeham timoris causa noctibus in ecclesia sancti Andree iacebat. Et dum nocte quadam ibidem quiesceret et membra sopori dedisset, pius puer et martir Willelmus ei per uisum apparuit et ait: 'Misereor tui Roberte quoniam et *in*<sup>104</sup> amissione rerum graui afficeris contumelia et terrore compulsus exul domo peregrinaris aliena. Duos igitur tibi fac sub nomine meo fieri cereos eosque per manum Godwini presbiteri quem cognominant Stert mihi transmitters non differas, in cuius rei recompensationem infra natalitios Christi dies te dominumque tuum concordem fore repromitto. Monachis quoque Norwicensibus supplica ut pro te exorent. Quibus et hoc ex mea parte quasi pro intersignis mandare magnopere studeas quatinus tapetum michi pridem sublatum ac sepissime requisitum nec redditum quamtotius mihi restituant. Verum si et adhuc in hoc neglectus fuero, proculdubio nouerint quod aliquis eorum in proximo grauiter luat. Sotularis quoque meus non quo disposuerant loco sed quoniam non adeo |

#### **46va**

---

<sup>104</sup> cc above the line

decens est interim alibi reponatur.' Quibus uisis expergefactus mane Robertus gaudio gauisus magno negotium hospiti decano intimauit, cereos fieri curauit, factos misit, monachisque de mandato ac minis subiungens, denominatis tandem diebus iuxta beati martiris uerbum promissi efficaciam percepit. Quo minaci percitus nuntio prior Ricardus qui priori Helye primus successerat, continuo in ecclesiam pro tapeto cucurrit sullatumque ac propriis delatum humeris memorato sancti martiris sepulcro superposuit. Sicque quod alii imprudentius gesserant hoc pie deuotionis obsequio correxit. Super eo autem quod de sotulari dictum est plurimum admiror quoniam et adhuc reuera ignorabatur, siue quis illum tunc habuerit, siue quo reponi debuerit. Ego quippe Thomas puncto temporis absens fueram, qui cunctis inscientibus priuata sub custodia sotularem habebam. Qui dum Norwicum remearem, suscepto a domina Mabilia Beccensi ad idipsum scrinio ipsum in ipso sotularem aliasque quasdam ipsius martiris reliquias priuatim reponi disposueram. Cum igitur domi uenissem et de sotulari que mandata fuerant |

#### **46vb**

percepissem uehementer nimirum admiratus, reliquas quas dixi reliquias scrinio immisi, memoratum uero sotularem quo ante fuerat loco reposui.

[ix.] De reuelatione sanctorum dentium et de cura Willelmi sacriste et morte eiusdem post uotifrangium.

Per idem tempus Willelmum Norwicensis ecclesie sacristam quem superiori libello diutino prelibauimus grauatum incommodo contigit ingrauescente morbi sui molestia passionis quam circa inferiora maxime patiebatur plus solito grauari pena.

Cuius dolori pius martir Willelmus compatiens primum cuidam Osberno quem de Monte Pessulano dicebant, secundo et alteri cuius nomen memoria excidit in uisu noctis apparuit dicens: 'Ite ac sacriste Willelmo cuius passioni ualde compator ex mea parte dicite quatinus secretarium meum Thomam super salute sua conueniat. Is enim si dentes meos quos adhuc priuata possidet custodia aqua benedicta lauerit eamque illi bibendam dederit infra paucos ille dies plenum proculdubio salutis remedium recuperabit. Eum tamen antea mihi uouere uolo se nullam ulterius alteram preter huiusmodi meam suscepturum medicinam. Quod si per incurie negligentiam uotifrangium |

#### 47ra

incurrerit, confestim ipse sibi consulat, quoniam ratum habeo, quod diem postea quartum nullatenus excedat.' Hec igitur uisionis nocturne mandata ubi per prescriptos uiros ad sacriste noticiam perferuntur, me protinus euocato, que per uisum reuelata eique denuntiata fuerant mihi intimaui et subiunxit: 'Ecce, frater, salus mea penes te est. Festina ergo, noli tempus redimere, noli spem meam more pena mulctare.' His ego auditis plurimum admiratus non modicum expaui. Nimirum quippe timebam *quod si*<sup>105</sup> dentes quos cunctis adhuc nescientibus habueram confiteri constaret me habere, constaret fortassis et amittere. Ea propter illos primo negare cepi, quoniam illis nullatenus carere uolui. Cum uero mihi diutius neganti eger et qui ei assistebant acrius ac pertinatius insisterent quod primo tantum negaueram tandem confessus sum et assensum prebui. Quid multa? Dentes attuli, aqua benedicta laui, eamque egro porrexi.

---

<sup>105</sup> ccoe

Qui tenens calicem uotum quod ei mandatum fuerat uouit, quod erat in calice exhaustit, ac de die in diem paulatim conualuit. Quo conualescente contigit me proficisci et aliquandiu extra |

**47rb**

morari. Presertim sacrista grauiter interim forte constipatus dum nature uenter non responderet, graues uentris sustinebat tortiones. Dumque nimis ut ei uidebatur morarer magisque ac magis uentris dolor ingrauesceret, crebro illi a medicis suggerebatur ut sibi scilicet consuleret, ac medicine remedium attemptaret. Ipse uero uoto quo astringebatur metuens illis nequaquam adquiescere uoluit, sed rem totam in meum distulit reditum. Verum cum diutius iam tardarem nimiumque passionis uis inualesceret medicis persuadentibus tandem heu consensit, et fallacis medicine asylo se contulit. Quo facto, consequenti die domum regressus cum rem gestam cognouissem uehementissime condolui eumque super uoti transgressione redargui. Cuius transgressionis reatum tum mora mea tum passionis sue dum excusaret molestia, nunc increpando nunc quasi consulendo subintuli: 'Numquid, karissime, te uoto astrictum oblitus fueras? Nunquid terribiles ille si uotum infringeres mine memoria iam excesserant? Iam tu tibi consule, quoniam tibi plurimum timeo. Nempe quoniam dies crastina susceptae medicine tibi tertia erit, quartum suspectam |

**47va**

habeo, et ne illa defraudemur pertimesco.' Dumque huiusmodi prosequerer commonitorium, ille monita ut mihi uidebatur paruipendens nec multum timuit nec omnino securus fuit. Quid plura? Iam diem tertiā sol occidens terminauerat, et ille

surgens a cena lectoque se reclinans quasi quieti se contulit. Quies uero illa heheu non dormitionis erat sed mortis. Cum etenim eum excitare uellemus, iam emortuum inuenimus. Ex his perpendat diligens lector quanta obseruantie diligentia obseruanda sint precepta sanctorum qui quanto maioris potentie ac dignitatis dinoscuntur, tanto amplius cauendum est ne offendantur. Quorum reuera iussionem si negligi contingat per incuriam, et raro tantum negligentie reatum non puniri contingit per penam. Quia nimirum preceptorem plane irritari constat, cuius preceptio eis maxime contemptui est a quibus maxime obseruari debuerat. Plurimis quoque astruimur exemplis quod pari scilicet talione plecti meruit qui uotum quod uouerat non obseruauit.

[x.] Quomodo mari periclitantibus martir subuenerit matrem ac filium per fontis inuentionem curauerit. |

**47vb**

**N**eque hoc silendum iudico quod quedam scilicet Botilda quam et in secundo libro meritis beati martiris per ramum filicis a pressura partus mire liberatam demonstrauius nobis retulit, quam magna uidelicet dignationis sue magnalia circa se beatus martir Willelmus terris et mari operari uoluerit. Reuertebatur nempe ipsa de sancto Iacobo sanctoque Egidio, et mare illud Normannicum ut in Angliam ueniret nauigio cum sodalibus peregrinis transibat. Contigit uero eam naui obdormire cum iam ad maris medium peruentum esset, uidebaturque ei sanctus assistere Willelmus dicens: 'Ecce pro uestibulo temporis grauissima nobis imminet procella; et nisi iam pro uobis interuenissem iam profecto nauis cum uniuersis periclitaretur. Vnde, cum necessitatis superuenerit hora, me aduocatum et intercessorem nobis in Christi nomine inuocate et



proculdubio tanta cum solis splendore subsequetur tranquillitas, ac si nulla precesserit tempestas. Denique circa uesperam prospero cursu litus Anglicum tanto maiori tenebitis leticia quanto grandiori uos ereptos uideritis de angustia. Tu autem, Botilda, cum Norwicum adueneris, cum filio quem ab ortu et meo man |

#### 48ra

cipasti patrocinio, quem et egrotantem offendes, adueniens ad meum in silua Torpensi locum heremiticum uenire non differas. Accedentes uero ad arborem ubi quondam a iudeis proiectus aliquandiu sub diuo iacui circa radices eius modicum cauate et inuentam ibi aquam haurientes bibite. Qua bibita, et tu ab eo quo laboras incommodo, filiusque pariter liberabitur a suo. Porro uninersis predicare studeas, quod ad illius aque gustum certum cunctis fideliter gustantibus proueniet remedium. Nunc autem quamtotius expergiscere, quoniam tempestatis iam superuenit hora, et mandatorum ne sis oblita.'

Expergefata terrore mulier cernit toto mari atre quasi noctis tenebras subito supereffundi, celumque diemque oculis uniuersorum subtrahi. Cumque omnia iam iam presentem intentarent mortem, misera nauis imminenti exposita naufragio nunc fluctibus elata quasi in celum euehitur, nunc depressa tanquam in abyssum deicitur. Omnibus itaque desperatis fit clamor miserabilis et ululatus. Presertim qui sanius sapiebant diuine misericordie postulabant opem. Prefata igitur mulier uniuersa cernens in arcto posita |

#### 48rb

prorupit in medium et uoce clara exclamauit: 'Vtquid tanta desperatio? Deum sanctumque Willelmum martirem Norwicensem deuoto corde communiter inuocate, et salutem festinam promitto.' Ad hanc uocem herentibus cunctis, omnium corda mira unanimitate ad dictum mulieris inclinantur. Cumque ab uniuersis ita clamaretur, continuo sol *arrisit*<sup>106</sup> clare radians et reddita sine dilatione tranquillitas mox in tantum mare pacauit ac si nichil omnino tempestatis precesserit. Excurso autem modici temporis spacio, cursu prospero nauis Anglie littoribus appulit, et exeuntibus cum gaudio cunctis, unusquisque in uiam suam abiit. Memorata uero mulier tandem Norwicum uenit, filiumque uelut ei predictum fuerat egrotantem inuenit. Quo secum assumpto cum teste presbitero in siluam festinauit, arborem prescriptam suffodit, et aquam mox scaturientem repperit. Ad cuius gustum continuo mater cum filio conualuit, atque in omnibus uisionis sue uerissima adinuenit presagia. Postmodum quoque per eiusdem aque gustum plurimos cognouimus optatum percepisse remedium. Super hoc *autem plurimum*<sup>107</sup> admirari possumus, quod scilicet |

#### 48va

in arido et arenoso loco aque fonticulus apparuerit; quoniam, nisi diuine omnipotentie id nutu fieret, nullatenus aque uena loco tali prorupisset. Adeo enim aridus locus ille exhabundat sabulo, quod si plenum aqua dolium inibi effunderes, post hore spacium nec minimum inde uestigium inuenires. Sed quid mirum, qui de rupe potuit durissima sicientibus olim populis aquarum fluentia producere, si uoluit et nunc

---

<sup>106</sup> cc above the line

<sup>107</sup> ccoe

in sabulo aque fonticulum egrotantibus aperire? Quippe quantum ad diuinam omnipotentiam, nichil admirabile, nichil omnino impossibile sed nos homines admirari solemus si quid nouum quandoque uel insolitum contingere cernamus.

[xi.] De quadam a languore diuturna curata et de altera que uisum amissum recuperauit.

Cumque inter mira tot miraculorum gesta maxima circumquaque laudum crebrescerent preconia, confluebant ad beati martiris Willelmi sepulchrum singulis diebus plurimi. Aliqui sanitatis percipiende gratia, nonnulli orationis siue deuotionis causa. Inter quos quedam mulier Norwicensis, Ada nomine, que iam annuo egrotauerat languore, hinc uiri sui, Siwate nomine |

**48vb**

vocati, et inde alterius cuiusdam sustentata brachiis adducitur. Et factum est, Oratione post oblationem peracta, que aliene opis indigna tristis aduenerat, celesti iam curata medicamine propriisque *confisa*<sup>108</sup> uiribus gaudens regreditur.

*Rauenilda*<sup>109</sup> quoque uxor Willelmi de Hastedune, que languescens diu oculis uisum paulatim amiserat, alieno ueniens ducatu ad sepulchrum sancti Willelmi plene lumen se recepisse exultat. Sicque factum est ut que illuc uenerat ceca lumine recepto inde recesserit leta.

[xii.] De quodam presbitero et eius familia ac muliere quadam curata.

---

<sup>108</sup> ccoe

<sup>109</sup> ccoe

Eodem tempore Galterus presbiter de Tifteshale atque de familia eius plurimi graui periclitantes egritudine, mox ut sancti Willelmi suffragia postulantes uota uouerunt, uelut eiusdem presbiteri relatu didicimus, sanitati pristinae restituti sunt. Sed et uxor Ricardi de Bedingeham, de quo et supra meminimus, graui uentris ac renum<sup>110</sup> grauata incommodo, beati Willelmi meritis medicine celestis curari meruit antidoto. |

49ra

[xiii.] De puella insana sanata et pluribus aliis.

Vidimus quoque hisdem diebus puellulam Eustachii monetarii filiam ad sepulcrum sancti martiris insanam adduci et post hore spatium sanam regredi. Alios preterea quam plures male habentes et morbidos illo uenire conspeximus, quos ibidem sanitatis percepisse remedia eorundem postea relatu cognouimus. Quorum nomina uel rei geste seriem uitande prolixitatis gratia presenti libello non inserui, quoniam nimia constat prolixitate legentium deuotionem sepissime ledi.

Explicit liber quartus. Incipiunt capitula libri quinti.

[i.] De translatione eius a capitulo in ecclesiam.

[ii.] Quod eo translato nocte consequenti sacrista mira audierit.

[iii.] De iuvene qui colubros uiuos euomuit.

[iv.] De quibusdam per merita sancti Willelmi a febribus curatis.

[v.] Quod Godwinum presbiterum quasi iocando correxit et ab iniusto questu reuocauerit.

---

<sup>110</sup> cc from renum

- [vi.] De languente per sepulcri tactum curato.
- [vii.] De anulo aureo per uisum nocturnum requisito.
- [viii.] De ydropico mira uelocitate curato.
- [ix.] De quodam decano Lincolniensis prouincie sanato.
- [x.] De quodam Girardo a compedibus mire liberato. |

**49rb**

- [xi.] De psalterio perduto ac meritis sancti Wilielmi recuperato.
- [xii.] De demoniaco curato.
- [xiii.] De altero furibundo sanato.
- [xiv.] De contracta muliere sanata.
- [xv.] [I]tem de altera contracta.
- [xvi.] De puella contracta et muta.
- [xvii.] De altera ceca et muta. De puero mire curato.
- [xviii.] De clerico male habente sanato.
- [xix.] De monacho ab oculi tumore et dolore per uisum liberato.
- [xx.] De matre sancti Willelmi, quod per uisum nocturnum ab ipso et illius

infirmas et mors prenuntiata fuerint.

- [xxi.] De matrona a dolore et tumore genuum diuturno curata.
- [xxii.] De altera a surditie liberata.

**Incipit liber quintus.**

- [i.] De translatione eius a capitulo in ecclesiam.

**I**am non solum de circumiacentibus uillis, sed et de remotioribus tanta cotidie multitudo ad sepulcrum beati Willelmi in capitulo adhuc iacentis cepit confluere, quod conuentus monachorum in claustro sedentium cotidianam tante multitudinis frequentiam nequaquam potuerit diutius sustinere. Dum etenim coram eis uirorum cotidie ac mulierum multitudo turmatim transiret qualiter illorum quies non inquietari poterat? Vnde et communi |

#### 49va

deliberationis actum est consilio, ut gloriosus dei martir in ecclesia transferendus ibi cum sepulcro suo reponeretur, ubi populis confluentibus liberior *ad eum*<sup>111</sup> fieret accessus. Quid plura? Prouidetur prope principalius altare a parte australi locus, et exequendi negotii dies oportunus. Volens autem pontifex ut perpaucorum noticiam illa transiret translatio, mihi ac sacriste tunc Giulfo precepit quatinus, necessariis congrue antea prouisis, ita res gereretur ut summo diluculo paucis consummaretur adhibitis. Erat utique dies illa mensis Iulii dies secunda, cuius meridiano tempore quiescentibus dormitorio fratribus et quid negotii interim gereretur ignorantibus, ego et memoratus Giulfus sepulcro accessimus, reuolutoque lapide superposito, ipsum sub eiusdem tenoris statu inuenimus quo eum ibidem et antea composueramus. Sullatum itaque illum secreto in ecclesia usque in crastinum contulimus loco, atque in capitulum regressi sepulcrum itidem reparauimus ac si nulla ibi transmutatio gesta fuisset.

[ii.] **Quod Martire translato sacrista nocte consequenti in capitulo mira audierit.**

Subsequenti uero nocte quiddam |

---

<sup>111</sup> cc above the line

#### 49vb

contigisse cognouimus, quod deuotioni legentium ita insinuandum decreui, ut multiplici super hoc coniecture locum derelinquam. Contigit enim circa noctis illius medium sacristam memoratum in ecclesia de more iacentem ad excitandos ut moris erat sub matutinorum tempore in dormitorio fratres exurgere. Qui cum gloriose uirginis Marie matutinos decantando usque ad capitulum processisset, ibi paululum subsedit, ut ibi quod supererat matutinorum expleret atque exinde ad consuetudinarium negotium procederet. Verum ubi more paululum sub angulo capituli sedendo sic effecisset, subito ex aduerso, boreali scilicet extra capitulum latere, uehemens ac terribilis exoriri cepit sonitus. Cuius qualitatem ipsemet nobis rem gestam postmodum referens nequaquam uerbis exprimere potuit. Quo audito, ultra quam dici possit eum horror inuasit. Dirrigere come membrorumque adeo uiger emarcuit ut nullatenus siue pedes contrahere siue manus sursum possit eleuare.<sup>112</sup> Ille uero exorsus sonitus magis ac magis succrescens, ab antedicto latere ad orientalem capituli |

#### 50ra

se transtulit fenestram, et, quasi per ipsam intro subintraret, directo transitu ad sepulchrum quod die hesterna uacuum relinqueramus se contulit. Cumque ibi aliquandiu inexplicabile quoddam murmur fieret, tandem intra sepulchrum se totum congegisset, et quasi in longinquum inde gradatim transmearet, audientis aures pedetentim subterfugit. Presertim dum hec ita se haberent, nimio terrore correptus immobilis sedit sacrista, secum quid ageretur negotii multiplici meditatione reuoluens.

---

<sup>112</sup> source?

Venientibus postmodum uero ecclesie famulis claustro lucernas disposituris, resumpsit animum, surgensque dormitorium subiit, consuetudinarium excitationis executurus officium. Ex cuius rei euentu idem sacrista ab ea nocte in reliquum noctibus capitulo lucernam subesse instituit, et quoad uixit institutum seruauit. Vnde et mos inoleuit, usque in hodiernum diem, noctibus capitulo inesse lucernam.

**V**erum crastino noctis illius illucescente diluculo, surrexit episcopus et quod cum paucis disposuerat exequi non sine multis contigit expleri. |

**50rb**

Dum etenim dispositum pre manibus haberetur negotium, subito plurimi deuotionis studio irrumpentes undique conuolarunt, interesse magis affectantes presenti martiris obsequio quam rei gerende impedimento. Denique congruo satis pro tempore loco, sed honore tamen non condigno, illud uenerabile martiris corpus reponitur, eiusque sepulchrum ferro ac plumbo consolidatur. Quibus gestis, uisionis prime tunc recordati sumus, qua se et a cimiterio transferri monuerat et capitulo inter pueros se paululum uelle quiescere indixerat, ad ecclesiam postremo transferendus.

**[iii.] De iuvene qui colubros uiuos euomuit.**

**T**ranslatus itaque in ecclesia beatissimus martir, maioribus quam antea pollere cepit miraculis, quantique apud deum esset patentibus declarauit signis. Sub recenti enim translationis huius tempore de uilla que Helhetune dicitur, iuuenis quidam ductu patris ad sancti Willelmi sepulchrum aduenit. Is quondam opilio dum gregibus pascendis intenderet, die quadam campo sub fructis forte obdormiuit. Dumque aperto sterteret ore, subito in ipsum coluber introiuit, et quasi grata mansione |



## 50va

reperta, intra uiscera se contulit. Excitatur nimirum iuuenis ignarus quidem infortunii, motum tamen sentiens presentia mali. Pestifero acerbitatis dolore turbabantur uiscera, cotidianaque dierum successione magis ac magis illud inquietudinis inualescebat incommodum. Ignorabat siquidem et mirabatur que tam dira pestis esse posset que tanta acerbitate uiscera sua concuteret; sed ex rei modo que gerebatur quid fuerit estimatione conicitur. Pluribus denique sub inquietudine tam molesta euolutis annis, iuuenis sancti Willelmi curandus meritis, ad sepulcrum eius uelut prelibatum est, ductu patris aduenit. Cuius pater, oratione facta post oblationem candele, sepulcri lapidem rasisit, aqua benedicta distemperauit, eamque male habenti filio bibendam tribuit. Quo facto, confestim cum fide patris operari cepit uirtus martiris. Vbi etenim sacer ille potus in uiscera descendit, furens continuo coluber ita introrsum cepit angustiari seu sacri potus presentiam nullatenus queat perpeti. Inualescente igitur molestia, concitus iuuenis ecclesiam exiit, et ante ualuas ecclesie humi procumbens, maxima cum angustia colubrum duosque deinde colu

## 50vb

Bri fetus euomuit, effusaque sanie multa, humi iacens uelut exanimis aliquamdiu permansit. Qui uero presenti affuere spectaculo, tam horribili nimirum obstupere monstro. Porro pater dolore nimio tactus exurgit in colubrum, ipsumque pariter cum fetibus tanquam filii peremit peremptores. Quos et tanti miraculi reseruaturus in signum, fisso imposuit baculo. Denique post unius hore spacium sanus exurgit iuuenis,

deoque ac sancto Willelmo liberatori suo gratias agens, domum cum patre gratulabundus regreditur.

[iv.] De quibusdam curatis ab estu febrium per sanctum Willelmum.

Contigit per idem tempus Adam, Iohannis dapiferi episcopi nostri filium, acri et diuturno febrium perurgeri incommodo. Iamque in tantum morbus preualuerat quod pellis exhausta marcido quodam pallore mortis signum intuentium oculis innuebat. Hic igitur, siue suorum monitis, siue proprie deuotionis instinctu, ad sepulchrum beati martyris ueniens post paululum quieuit et obdormiuit. Exactoque duarum horarum spatio, adeo sanus surrexit et incolumis ac si nichil omnino presensisset doloris.

Quidam quoque Roberti |

**51ra**

[va]atiensis miles consimili diebus illis uexatus ualitudine, consimili modo ad idem martiris sepulchrum sospitatem meruit optinere. Alios preterea quamplurimos febrium itidem typo laborantes sancti Willelmi meritis remedium sanitatis ibidem frequenter percepisse percepimus.

[v.] Quod presbiterum Godwinum quasi iocando correxerit et iniusto questu reuocauerit.

Tempore illo Godwinus presbiter, cuius in precedentibus sepe mentionem fecimus, et quem ligneum illud martiris tormentum quod uulgo Teseillun dicitur habere premonstrauimus, ipsum aqua intingere solebat benedicta, per cuius haustum multis fertur salutis contulisse remedia. Cuius rei fama permota mulier quedam paupercula diuturno languoris laborans incommodo, qualiter potuit, ad eundem

Godwinum percipiende sanitatis gratia uenit, ad quem et ait: 'Miserere mihi, domine, meoque compatere languori. Et qui per merita sancti Willelmi aliis<sup>113</sup> soles subuenire, mihi quoque subuenias misere. Credo equidem meam tuis per manibus esse salutem. Sicque tui sanctus propicietur Willelmus, quemadmodum et tu mihi propitius fueris.' Cui Godwinus: 'Quid,' inquit, 'beneficii attulisti,<sup>114</sup> que |

### 51rb

adeo fidutialiter meum postulas obsequium?' Ad quem illa: 'Nouit deus quoniam adeo paupercula sum quod omnino nichil preter quod circa me cernis possideam. Vniuersa profecto que habui in medicos expendi, et nichil profeci.' Ad hec Godwinus: 'Si, ut astruis, adeo pauper es, gallinam saltem perquirere et dare potes.' Respondit mulier: 'Gallinam, domine, de qua loqueris nec habeo nec ubi perquiram scio.' Cui presbiter indignans prouerbialiter respondit: 'Audi, mulier, "qui non dat quod amat, non suscipit quod desiderat." Vnde si uis ut precibus tuis obaudiam, uade, perquire, et affer gallinam.' Quo mulier audito in fletum prorumpens, cum lacrimis ait: 'Iudicet deus inter nos, piusque martyr Willelmus uelut erga me meruisti tibi retribuatur.' Et his dictis lacrimans abscessit. Et, ut postmodum cognouimus, ab ea die conualuit, et pristinam sanitatem breui recuperauit. Presbiter uero rem paruipendens, dum deprecantis muliercule lacrimas despexit, dei fortassis sanctique Willelmi iram incurrit. |

### 51va

---

<sup>113</sup> ccoe

<sup>114</sup> ccoe

Qua de re conicimus prae uoluntatis culpam subsequens mox infortunii non iniuste subisse uindictam. Factum est enim ut ea nocte uniuerse illius morerentur galline; et ex plurimis nec una superfuit. Atque ita, pro sola quam illicite petiit, multarum non immerito dampnum incurrit. Mane facto, cum infortunii euentum percepisset presbiter, statim compunctus hesterne culpe recognouit reatum, et se grauius peccasse confessus est. Ea propter terrore compulsus uouit, se ulterius questus huiusmodi lucra per spiritualia non quesituros beneficia.

[vi.] De languente per sepulcri tactum curato.

Diebus illis Robertus Heruei quondam pistoris filius, mensium quatuor et eo amplius detentus languore grauissimo, rem gerere credebatur extremam. Inualescente etenim morbo, omnem cibi iam amiserat appetitum, membrisque succo exhaustis ac pulsu nimis debilitato, saluti eius medici diffidebant. Cum itaque rem in arcto esse cerneret, ad diuine misericordie confugit asylum. Cuius rei gratia, quoniam totus corpore imbecillus erat, suo |

**51vb**

rum utcumque manibus ad [sepul]chrum sancti martiris deducitur. Vbi assistens, effusa multe deuotionis oratione, continuo ad sacri lapidis tactum celestis medicine sensit antidotum. Qui enim adueniens uix orationis dominice tantillum ruminare poterat, assumpto post paululum psalterio psalmos inchoat, psalteriumque totum se excurrere posse exultat. Quo peracto, omnipotenti deo sanctoque Willelmo gratias agens, qui aliene opis aduenerat indignus propriis iam gressibus regreditur confisus.

Quique diebus multis nichil omnino cibi gustauerat, appetitu recuperato cibum sumpsit, recreatisque in breui uiribus sospitati plene restitui meruit.

[vii.] *De anulo aureo per uisum requisito.*

Erat miles quidam prope Linnam Reginaldus nomine, filius Philippi, cuius uxor miro deuotionis affectu sanctum Willelmum diligebat. Hec cum nocte quadam iuxta sponsum in stratu suo quiesceret, apparuit illi per uisum idem martir quem diligebat Willelmus. Qui affectuose deuotioni eius gratias agens, dulci eam

recreauit alloquio. Post cetera anulum |

**52ra**

aureum reliquis minorem, quoniam plures gerebat, in signum amoris sibi dari requisiiuit, eumque usque ad digiti summum cui inerat abstraxit. Qua de re expergefata mulier expauit, uisaque retractans anulumque digiti summo reperiens, quid ageret hesitate. Viro tamen uisa subintulit. Eius itaque consilio actum est ut ipsa Norwicum sine dilatione ueniret, et requisitum sancto Willelmo offerret anulum. Post hec uero se totam illi commendans, quem erga illum gereret animum semper postea per deuote exhibitionis indicauit effectum.

[viii.] *De ydropico mira uelocitate curato.*

Vidimus et hominem de prouintia trans Humbrum uoti gratia ad gloriosi martiris Willelmi uenire sepulchrum. Is multam cere massam ad caligarum instar compactam afferens, eam summo deuotionis studio martiris Willelmi superposuit sepulcro. Qui sciscitantibus nobis unde esset, siue cur aduenisset, respondit: 'Natiuum mihi solum Eboracensis prouintie est regio, atque huc uoto constrictus adueni. Fuiam

enim quandoque ydropicus, eiusque morbi per annos multos succubui molestie,  
dirumque ac miserabile intuentibus eram spectaculum. Quanta pre |

### 52rb

sertim doloris torquerer angustia uerbis nequaquam exprimere possum. Pius  
utique martir Willelmus mee compatiens afflictioni per nocturnum mihi mandauit  
uisum quod si sanus fieri uellem, uniuersum tumorem cera circumdarem, eamque sibi  
Norwicum afferrem. Mira res ac ualde stupenda. Mox etenim ubi tumentia inferius ab  
umbilico membra cera circumdedit, tumor omnis adeo subsidit ut, cum postmodum  
tolleretur cera, nec modica paruerint tumoris uestigia. Tanto nimirum stupefactus  
miraculo, tamque ueloci recreatus beneficio, huc ut iussum est uenire non distuli. Et  
hec est cera, cuius uelut predixi officio me contigit sanari.' Quo audito, plurimum super  
his admirantes gauisi sumus deumque in sancto suo Willelmo mirabilem predicamus.

### [ix.] De decano Lincolniensis prouincie curato.

Uenit et a Lincolniensi prouintia decanus quidam, Robertus nomine, qui  
denarios<sup>115</sup> quatuor quos sancto Willelmo singulis annis se daturum uouerat, attulit, ac  
sepulchro eius quasi debitum uectigal superposuit. Hic uero nobis aduentus sui  
causam inquirentibus subin |

### 52va

tulit dicens: 'Nature uitio in diuturnum decidi languorem, atque ex diuturnitate  
morbi cum ceteris membris etiam caput intumuit. Talisque intuentium uisibus  
apparebam, tanquam si uite limina iam iam excederem et mortis uestibulum

---

<sup>115</sup> ccoe

subintrarem. Iamque sub ipso mortis discrimine quasi filum trahebam uite. Compassus itaque tante ac tam acerbe languoris diuturnitati, mihi per uisum sanctissimus martyr apparuit Willelmus, blandisque me consolatus sermonibus, inter cetera subiunxit: "Confortare, frater, quoniam in proximo est ut cureris. Curatus uero, in recompensationis mihi signum quatuor denarios quotannis exsolue." Quibus dictis, caput ac cetera ex ordine membra demulcenti percurrit palma. Demulcentis uero medicabilem illam manum e uestigio subsequatur sospitatis antidotum. Quo facto, stans ante me, ait: "Ecce sanus effectus es. Preceptum obserua." Mira res, et fere incredibilis! Expergefactus enim me sanum et incolumem repperi, et pie uisionis ueritatem efficaciter sensi. Surgens ergo iter meum differre nolui, sed ascenso equo huius rei causa huc adueni, indictumque michi capitis tributum exsoluo.' His auditis, admirati nimirum et gauisi sumus, ac diuine pietatis beneficia magnificauimus.

#### [x.] De Girardo a compedibus soluto.

Vidimus et quadragesimali eiusdem anni tempore Girardum quendam qui domini sui fugiens tyrannidem ad Norwicensis ecclesie confugit asylum. Hunc miles Willelmus nomine de Witewelle compedibus astrictum, quamquam nepos eius diceretur et esset, arcte deputauerat custodie, quia scilicet uoluntati sue nullatenus uolebat assentire. Deinde tanquam sibi rebellem multo ieiunio et nuditate crudeliter afflixit, seumque in eum tyrannidis sue uiolentiam exercuit. Cumque a die purificationis usque ad sextam feriam ante pascha florum miris miser ille affligeretur modis, nec flecteretur, toruis miles crudelissimus eum intuens oculis ait: 'Delibera tecum, Girarde, et quam citius prouide tibi. Ecce hodie Norwicum uado, reditum

profecto crastinaturus. Has interim habeas deliberandi inducias. Id tamen pro certo teneas, quia ni redeunti mihi confe |

### 53ra

stim adqueueris, omni prorsus dilatione remota genere penarum exquisito peribis.' Et hec dicens, iussit eum cum altero quodam compedibus pariter constringi, ita tamen ut Girardi pars artificiosa quadam obfirmaretur clauis. Clauem uero uxoris theca, thecam quoque obfirmatam archa reposuit, et tanquam hoc non sufficeret, arche clauem secum asportauit. Abiens uero uniuersos domus sue famulos iusserat ea nocte diligentius circa eum excubare, omnia domus hostia solito strictius obserare, scannis quoque et aliis quibuslibet podiis obstruere. Inter hec miser ille Girardus omnia in arcto esse, et uitam periclitari cernens, sibi nimirum omnimodis timebat, et quid ageret prorsus ignorabat. Malebat etenim mori quam iniuste succumbere seruituti. Qua propter animum totum coram diuine pietatis effudit omnipotentia sanctosque dei sibi coadiutores affore petiit, ac precipue sanctissimi et clementissimi martiris Willelmi opem implorauit dicens: 'Gloriose puer et martir Willelme, si uera sunt que *de te*<sup>116</sup> audiuius, et tante uirtutis sis uelut estimamus, succurre mihi misero, |

### 53rb

succurre iniuste perituro. Libera me, domine, a presenti calamitatis angustia, ut tue uirtutis ope liberatus tibi seruus fiam inperpetuum.'<sup>117</sup> Qui cum in hunc modum orasset atque eadem die tota multaque noctis parte precordialiter replicasset, tum

---

<sup>116</sup> contemporary marginal correction

<sup>117</sup> source?



labore uigilie tum doloris tandem uehementia obdormiuit. Sed et custodes uniuersos sompno pariter oppressos dormire contigit. Cum uero iam noctis pertransisset medium, dormienti uidebatur uincto sanctum martirem quem inuocauerat Willelmum sibi assistere, compedesque clauis uelut dictum est firmatas reserare, ac sibi dicere: 'Expergiscere, frater Girarde, et uelociter surgens, tuamque compedum partem tollens, quam totius fuge. Ecce solutus es. Festina! Hostium australe iam tibi patet peruium.' Expergefactus ad hec homo tremens obstupuit; sed ubi se solutum sensit, resumpto animo de fuga cogitauit. Nec mora, sumpta sua compedum parte, silentio surrexit, rectoque gressu ad indictum hostium sibi et iam patefactum perueniens, continuo prodiit ac ueloci fuga salutem sibi parturiuit. Norwicum uero sub diluculi ueniens articulo,

patefactis ecclesie ianuis, statim ad sancti Willelmi libe |

**53va**

ratoris sui properauit sepulchrum, atque memoratam compedum partem illi obtulit in liberationis sue signum. Et tam diu postmodum seruiuit in ecclesia quamdiu permansit in uita.

[xi.] *De psalterio amisso atque recuperato.*

**C**ontigit per idem tempus sancto pasche sabbato me Thomam psalterium amittere, de cuius amissione eo magis dolui quia illud manibus propriis scripsi. Quod cum diutius ac diligentius inquisitum nequaquam inueniretur, in ecclesia tandem publica de eo facta est interrogatio, et excommunicationis postmodum proponitur sententia. Verum ubi inquisitionis nostre labor nullum nobis retulit fructum, post

omnia ad unicum patroni mei recurrere disposui patrocinium. Facta itaque candela et ad sepulchrum eius perlata, summa ibi oratum est deuotione, uti psalterium amissum sanctus martyr diuine uirtutis impulsu reddi cogeret quod omnimode inquisitionis labore recuperari non posset. Et factum est. Die crastina uenit quidam Radulfus presbiter sancti Michaelis Norwicensis, atque ea hora cum psalterio memorato ad sancti Willelmi sepulchrum accessit, qua |

### 53rb

se a nemine cerni credidit. Relictoque ibi psalterio confestim abscessit. Ego autem e uestibulo temporis orandi gratia illuc adueniens, psalterium subito uidi, et prorumpentibus pregaudio lacrimis, illud gaudens sustuli. Postmodum uero, rem diligentius indagantes plurimi, cognouimus quia prenominatus presbiter esset, qui ad sepulchrum martiris illud deposuisset. Tribus siquidem emerat denariis, sed quia furatum *et*<sup>118</sup> in ecclesia sepius quesitum audierat, nescio siue rubore ductus, siue retinendi amore corruptus, reddere differebat. Erat quippe liber preciosus et carus, et qui concupisci foret non indignus. Ac, uelut pluribus ex causis conicimus, ipsum necdum reddidisset, nisi ad hoc timore aliquo compulsus esset. Aiunt enim quoniam eius diei nocte quo oblatam sancto martiri prediximus candelam, idem beatissimus martir presbitero illi in sompnis apparuerit, eumque nisi psalterium crastino redderet terribiliter comminatus sit. Qua compulsus necessitate, librum credimus reddidisse.

[xii.] *De demoniaco mentis sancti Willelmi sanato.* |

### 54ra

---

<sup>118</sup> cc above the line

In[vid]ie siquidem est signum diuine bonitatis aliis celare beneficium quod pluribus plurimum potest prodesse, si plures contingat et nosse. Pulcrius enim elucescunt bona si plurimorum comprobentur noticia. Vnde silentio non congruit suppressi quod plurimorum noticia ad deuotionis edificationem perutile est propalari. Nouit siquidem beniuolentium pia simplicitas, quoniam auditis non nunquam sanctorum miraculis, ignescere soleat affectus pie deuotionis. Sed dum miraculis miracula, magnisque maiora succedunt, ita tamen in scribendo noster temperandus est stilus, ne in legendo multipliciter extingatur fastidio pie deuotionis igniculus. Et dum fideliter prout auditu siue uisu scire potuimus, beati Willelmi martiris miracula deuotioni fidelium enarramus, peccat qui nos astruit non uera *pro*<sup>119</sup> ueris cudere, uel rem gestam figmentis palliare. Nunc autem simplici mentis oculo diligens lector attendat, quod beatissimus deoque acceptus martyr Willelmus non solum morbis hominum, sed et uersutiis demonum reuera imperiosus existat. Vidimus |

#### 54rb

quippe rusticum quendam Simonis de Hemestuode per dies multos a demonio uexatum, ligatum manus et pedes ad illud medicabile sancti Willelmi sepulchrum sanumque et incolumem sub ipso crastino domum reduci.

#### [xiii.] De altero furioso curato.

**U**idimus quoque et alium arrepticium in septimana<sup>120</sup> pentecostes ad sancti Willelmi sepulchrum diuina miseratione curatum. Is quondam filius Ricardi de

---

<sup>119</sup> cc above the line

<sup>120</sup> cc above the line

Nedham, cuius et mater Siluerun dicebatur, subito quadam die a demonio correptus, adeo acriter se cepit habere ut uix eum septem uiri uinculis possent constringere. Constrictus uero diebus sex ita permansit, nichilque comedens, fugiente sompno nec ad modicum dormire potuit. Qui cum sic ligatus a parentibus tandem ad sepememoratum adduceretur sepulchrum, illi appropians horribili confestim uoce exclamauit et ait: 'Quid me uultis? Quo me ducitis? Illuc nequaquam ibo; illuc nequaquam ibo!' Cumque illuc uiolentius traheretur, non suo sed maligni spiritus annisu rupit uincula, insurgensque in matrem ipsam humi proiecit, dentibusque per guttur arripuit. Iamque illam morti dedisset, |

#### 54va

nisi plebs accurrens ereptam liberasset. Tum ille dentibus stridens, toruisque luminibus circumstantes intuens, quos contingere potuit, miserabiliter discerpsit. Quae de re confluentibus plurimis, crudeliter arripitur, alligatur, constrictisque ad pedes manibus, uelit nolit, ab latere sancti sepulcri deponitur. Mox ut sacrum locum attigit, mirum dictu, nec uoce nec uultu uel minimum furoris signum demonstrauit. Pertransito uero hore unius spacio, blande atque humiliter ut solueretur expetens, a quodam ecclesie famulo solutus est, atque postmodum adeo placide ac mansuete se habuit ac si nichil antea furoris habuisset. Presertim post modicum correptus sompno, qui pluribus, ut dixi, diebus omnino non dormierat, aliquamdiu quieuit. Expergefactus uero, qui multis diebus sine cibo permanserat, se tunc multa esurie<sup>121</sup> affligi dicebat.

---

<sup>121</sup> ccoe

Allato igitur cibo comedit et bibit, et cum parentibus et amicis sanus et incolumis summa cum alacritate recessit.

[xiv.] De contracta muliere scabellaria sanata.

Eadem pentecostes septimana, sabbato ante festum sancte trinitatis, |

**54vb**

uenit muliercula ad sepulcrum sancti martiris, que a primeua etate in uilla sancti Eadmundi per multos contracta manserat annos. Hec manualibus gradiens scabellis, prout potuit, per uisum a sancto Willelmo ammonita Norwicum aduenit. Et accedens, quantum sibi pre turba licuit, ad memoratum sepulcrum, ut per sancti Willelmi martiris merita sue misereretur<sup>122</sup> imbecillitati, diuine pietatis exorauit clementiam. Vix orationem terminauerat, cum subito correpta dolore acerbe angustiatur, neruisque crepitu magno distensis et ipsa distenditur. Cumque aliquamdiu graui subcubuisset angustie, sedato tandem dolore quieuit, atque post unius hore spacium sana in conspectu nostro surgens incolumis, deo sanctoque martiri suo Willelmo pro reddita sibi sospitate gratias egit.

[xv.] De altera toto corpore imbecilli curata.

Erat eo tempore mulier in uilla que Florendune dicitur. Et ea dolore partus atque angustia contractis membrorum neruis tantam corporis incurrit imbecillitatem, ut multis postea diebus neque se ipsam manibus pascere neque pedibus posset |

**55ra**

---

<sup>122</sup> cc above the line

ambulare. Hec quam plurimis sub hac ualitudine diebus transactis per manus uiri sui et quorundam aliorum equo imposita ad sancti Willelmi *sepulcrum aduehitur*. *Deposita uero prope sepulcrum, et illa pro se et pro illa sui preces ac uota fuderunt.* <sup>123</sup> Facta denique trium horarum ibi mora, sancti martiris sui meritis diuina pietas mulieris imbecillitati subuenit, uirtusque salutifera inuisibiliter per imbecilles arcus membratim discurrens, uisibili salutes effectum patuit. Recreatis igitur diuina uirtute membris, uiscerumque dolore exinanito iam sibi confidens mulier surrexit, deoque ac sancto Willelmo pro sibi collato salutis remedio gratias et laudes exegit. Et factum est. Que tristis et aliene opis aduenerat indigna, leta cum suis regreditur gressibus propriis confisa.

[xvi.] *De puella contracta et muta ac sanata.*

**E**odem anno feria quinta ante pascha, que a christianis dies absolutionis dicitur, dum pontifex Willelmus missarum celebraret sollennia, uenit mulier ad sepulcrum sancti Willelmi filiam gestans septennem contractam ac mutam. Hanc mater in conspectu plurimorum iuxta sepulcrum deposuit. Factaque cum |

**55rb**

lacrimis oratione, assidente ibidem tunc Godiua uxore Sibaldi filii Brunstani et ipsa consedit. Cumque aliquantam ibi fecisset moram, forte sompno depressa obdormiuit. Allato interim ad sepulcrum ouo, que numquam antea uel incedere siue loqui poterat, cernente memorata Godiua puella surrexit, ouumque accipiens, ad matrem se conuertit, et materna lingua ait: 'Vide mater, ouum habeo.' Ad cuius sonum

---

<sup>123</sup> ccoe

excitata mater, cernens filiam loquentem et gradientem, pre gaudio nimirum prorupit in lacrimas. Iamque confidens filie, quanta diuina sibi pietas meritis sancti Willelmi beneficia contulerit, astantibus publice predicauit. Nobis uero accurrentibus et rei geste diligentius inquirentibus negotium, a prefata Godiua et ab aliis quampluribus profecto audiuius, et se mulierem reuera cognoscere, et uirginem illam contractam ac mutam se sepius uidisse.

[xvii.] *Item de altera ceca surda et muta a natiuitate.*

Diebus postmodum non multis intercurrentibus, paupercula mulier quedam de Grimestune per uisum ab ipso sancto Willelmo admonita est, ut si

filiam quam ab ortu cecam et mutam habebat sanari uellet, eam ad se |

**55va**

Norwicum afferret. His illa inuitata promissis, cum filia uenire non distulit, allatamque ad caput deponens sepulcri, clara uoce ait: 'Gloriose dei martir Willelme, ecce ut iussisti filiam attuli, fac ei, domine, sicut promisisti.' Et hec dicens fleuit, ac diuinam pro salute filie supplicauit misericordiam. Factum uero est, tanquam materne pietatis lacrimae celos attingerent, ut deuota precum instantia tandem uirgini salutem optineret. Confestim namque cum pietate matris cooperari cepit uirtus martiris. Quid plura? Ex inproviso albugine que uirginis oculos tanquam oui membrana obduxerat dissoluta, sanguis subito ex oculis prorupit, atque in pauimentum eminus prosiliit. Qua nimirum pre doloris angustia clamante, plorante, et genas uellente, nos plures accurrimus, quod negotii gereretur cognituri. Et quanquam rei euentum prout narrauit mater didicissemus, certius tamen ueritatem scire uolentes accensam summitati uirgule

candelam imposuimus. Qua pre oculis eius apposita, atque huc et illuc diducta, uirgo lumen intuens ac uelut rem admirans sibi reuera ignotam quacumque deflecteretur, oculis candelam |

### **55vb**

sequebatur. Auferentes denique candelam, exhibuimus et pomum. Quod apprehensum cum admiraretur, Anglica lingua mater ait: 'Comede, filia, comede pomum.' Ad hec dum eundem puellula sermonem retexeret, se matri respondisse credit. Necdum aliud loqui nouerat, nisi quod ab alio audiebat. Vnde conicimus non illam tantum cecam et mutam, immo fuisse et surdam. Tanto itaque certificati miraculo, diuine gratie gratias laudum exsoluimus atque ab ea die in reliquum pia erga sanctum Willelmum deuotio incredulorum radicauit in cordibus.

### **[xviii.] De puero quodam mire curato.**

**T**empore illo puer filius Willelmi Polcehart maxima depressus ualitudine, iam nec cibum sumebat nec aliquod, inualescente magis ac magis morbo, uel minime quietis solatium ad horam habere poterat. Consultis igitur super salute pueri medicis nec aliquid ei proficientibus, desperati parentes sancti Willelmi tandem se contulerunt suffragiis. Qua de re uotum fecerunt, ut scilicet, si puer meritis eius sanaretur, singulis annis optima ab ipso candela in liberationis sue signum illi persolueretur. Facta igitur ad longitudinem |

### **56ra**

pueri et latitudinem candela, et ad memorati martyris sepulcrum allata, continuo puer quasi mortis abstractus faucibus, ad subite salutis aduentum respirauit, et in breui



contra omnium opinionem conualuit. Parentes uero pueri diligentius ueritatem indagantes facti, ipso temporis puncto eum sanitati cognouerunt restitui, quo candelam eius sancto Willelmo contigit offerri.

[xix.] De quodam clerico morti proximo sospitati restituto.

Nec multo post Adam clericus nepos Edwardi de Gernemuta<sup>124</sup> in maximam decidit corporis ualitudinem. Cuius sanitati desperantibus medicis, salutis sue anchoram diuine fixit solo misericordie. Inter hec monitis suorum beatum martirem Willelmum animo contrito ac uoce supplici inuocauit, eiusque postulans opem uouit, ut scilicet si presenti sue egritudini conferret remedium seruus eius fieret in eternum. Qua deuotione ductus, iussit ad longitudinis et latitudinis sue mensuram fieri candelam, et Norwicum ad sepulcrum illius deferri. Et factum est, ut sub ipsa hora eger continuo conualesceret, qua qui missus fuerat pro salute eius candelam offerret. Vnde et cum reuerteretur eum sanitati restitutum repperit quem |

56vb

abiens sub ipso mortis uestibulo dereliquit.

[xx.] De monacho per uisum curato.

Sed neque hoc silendum estimo quod et legentium laborem delectet, et auditorum deuotionem non uulneret. Erat quippe Norwici tunc monachus quidam, simplex quidem et religiosus, qui Petrus Peuerellus uocabatur. Hic erga sanctum martirem Willelmum multe deuotionis semper extiterat, eumque precipuo mentis affectu diligebat. Qui nocte quadam dominici aduentus tempore dum de matutinis

---

<sup>124</sup> cc above the line

regrediens sanus se lecto contulisset et sompno, dormiens intolerabilem subiti doloris incurrit angustiam, aliquo fortassis accidentali infortunio. Oculum enim dextrum uehementissimus dolor inuasit, et inuasoris domini quasi satelles e uestigio tumor successit. Expergefactus pre tanti nimirum doloris angustia monachus, continuo in uocis horrende irrupit clamores, adeo ut nullus circumiacentium ea hora esset, qui pre clamoribus eius quiescere potuisset. Ingrauescente magis uero ac magis dolore, tota facies dextra intumuit, et horribile spectaculum intuentibus dedit. Iamque in tantum per dies aliquot excreuit angustia, quod se mori mallet, quam aliquamdiu sic uiuere. Nempe inter frequentes punctionum |

#### **56va**

aculeos, frequenter sancte Marie sanctique Willelmi nomen replicabat, eosque cur sibi seruo suo non subuenirent causabatur. Cumque diutius sic se habuisset, sedato tandem aliquantulum dolore, nocte succedente quieuit. Cui dormienti uisus est assistere beatus dei martyr Willelmus dicens: 'Ego ille sum Willelmus, quem multum dilexisti, quem patronum elegisti, et cuius opem inuocasti. Ecce assum et iam meum experieris aduentum.' Quibus dictis, blande per faciem tumentem dexteram traxit medicabilem. Ad cuius continuo tractum tumens adeo subsidit facies, ac si nunquam intumuisset.

Hoc facto, uisio disparuit, atque eger per noctis reliquum solito quietior permansit. Vbi autem lux illuxit crastina, omnem faciei tumorem subsedissee cognouit. Verum quoniam oculi tumor qui magis molestus fuerat, licet dolore aliquantulum interim sedato, in suo tamen adhuc statu permanebat, animo propensiori sanctum

exorauit Willelmum, quatinus plenum dolori suo conferret remedium. Et factum est subsequenti nocte, dum ille quiesceret, uenit ad eum sanctus iterum Willelmus propiusque accedens, oculo male habenti crucis signum pollice impressit. Mira res, |

#### 56vb

et admiratione plena! Signo enim facto, ac si subula pupugisset, confestim sub oculo pellis crepuit, et sanies per faciem multa profluxit. Euigilans ille, formamque uisionis retractans, saniem extersit, cuius indicio se sanatum esse comperit. Quod autem hoc non uanitatis fuerit illusio, sed uere uisionis efficax demonstratio, et sanies diebus multis profluens manifestauit, et rei geste inditium in cicatrice permansit.

[xxi.] De matre sancti Vuillelmi martiris qualiter per uisum infirmitas eius ac mors ab eo denunciata fuerit.

Excursis aliquot diebus in uilla Norwici uirgo filia Martini piscatorii, que beatum martirem Willelmum mirabili diligebat et uenerabatur affectu, per uisum noctis dum quiesceret eundem sibi assistentem uidit et dicentem: 'Confortare, mihi puella karissima, et in amore meo constanter perseuera. Volo ut me uirginem amans uirginitatis tue florem illibatum custodias, ut et mihi uirgini mundum uirginee deuotionis prestes obsequium. Que cum crastina illuxerit dies familiaria quedam que tibi nunc iniungo exequere mandata. Mea siquidem ex parte

sacriste dic Giulfo quatinus mihi crucem quanti sibi placuerit fieri |

#### 57ra

faciat et ad pedes sepulcri mei reponat. Per dies etenim multos latere sinistro iacui, uolens dominice crucis signum assidue pre oculis habere, quod et ipse meo

portau non nunquam in corpore. Hec autem ubi dixi affigatur, ut absque ullo flectende ceruicis labore illam intueri liceat. Quod si sacrista facere neglexerit, Thome cantori et matri mee dicito ut que iussa sunt ipsi saltem exequantur. Denique matri subiungas, ne scilicet moleste ferat, si quid illi aduersi contingat. Eoque libentius ac modestius toleret, quod per transitoriam carnis penam ad perhennem transitura est regni celestis gloriam.' His dictis, uisio nocturna disparuit. Mane facto, uirgo uisa retractat et super tam uenerabili delectata uisione, quam citius potuit quibus iussum fuerat totum ex ordine negotium intimauit. Porro memoratus sacrista rem paruipendens neglexit, siue aliis intercurrentibus negotiis illud fortassis obliuioni per incuriam tradidit. Quamobrem necessario ego et predicta sancti martiris mater super mandatis pariter conferentes, rem agendam suscepimus et pariter susceptam peregimus. Quoniam uero interim intercurrit |

#### **57rb**

infortunium, paulisper negotium permansit dilatatum. Diebus etenim illis sancti martiris matrem egrotare contigit, atque ydropico in tantum laborare cepit morbo, ut iam nec pedibus ire, nec lecto surgere nisi alieno suffulta posset adminiculo. Cumque acrius inualisset acerbitas, lecto iacens in hunc orauit modum: 'Sancte Willelme, fili karissime, miserere matris tue, et que tot dolores ante partum et in partu pro te sustinui, doloribus meis et ipse compatere.' Qua oratione compassus matris sue angustus pius puer et martir, ea nocte illi per uisum apparuit dicens: 'Confortare, mater, et patienter sustine penam quam tibi dominus preparauit ad coronam. Anime siquidem tue siquid peccatricis adhesit rubiginis, ut excoquatur necesse est fornace aduersitatis. Examinetur

ergo carnis argentum ut reponi mereatur superni regis in thesaurum.<sup>125</sup> Noueris tamen quoniam hac que nunc imminet pentecostes septimana tua ad tempus releuabitur infirmitas, propriisque usa gressibus ad me uenies. Cum autem ueneris, quam mandauit crucem tecum afferas. Presertim consummatis deinde aliquot diebus, tua ad tempus ad te reuertetur infirmitas. Que licet multo tibi

acrius |

**57va**

tunc incumbat, eam tamen uiriliter animus eo uiriliter perferat, quia omnis peccatorum tuorum macula hac egritudinis extergetur pena. Qua mundata, concessit mihi dominus ut ad me transeas, atque sine fine felicitatis mee particeps existas.' Hec dicens recessit.

Mane facto, mulier quod audierat, *quod uiderat, sibi assistentibus*<sup>126</sup> enarrat. Michi quoque illam egrotantem uisitantem, id ipsum intimare curauit. Quibus nequaquam fidem adhibere potui, nisi me primitus ea constaret intueri. Verum cum illam postea uiderim conualescere, ad sepulcrum filii ebdomada pretaxata sospitem uenire, crucem pro mandato afferre et recurrente pristina egritudine uitam terminare, post hec quid aliud credi decuit, nisi quia uisio illa fallax non fuit? Cui tandem uelut predictum est uitam carnis terminanti, omne humanitatis exhibuimus obsequium, ac deuotionis causa quam erga filium habebamus, matrem in cimiterio nostro honorifice sepeliuimus.

---

<sup>125</sup> source?

<sup>126</sup> ccoe

[xxii.] De quadam a dolore et tumore genuum graui et diuturno curata.

Quodam post tempore Goda uxor cuiusdam Copmanni Norwicensis, quem dicunt De Fonte, ad sancti Willelmi uenit sepulcrum, ut egritudini sue percipiat remedium. Per mul |

**57vb**

tos enim dies dolore renum laborauerat, ac demum descendente incommodo, genua quoque intolerabilis ille dolor inuasit, et breui ualde tumentia reddidit. Iamque crebrescentibus puntionum aculeis genibusque tandem ad ollarum grossitudinem redactis, adeo excreuerat molestia, ut pedum omnino deperiret incessus, et lumina quietis refugeret sompnus. Die ac nocte gemebat, clamabat, et tam acerbe se habebat, ut si illam cerneres, non uitali spiritu diu fruituram estimares. Accessit quoque ad mali cumulum oculi sinistri dolor uehementissimus, adeo ut breui tumescens oculus oui superexcederet grossitudinem. *Que ergo de ipsius desperabatur salute, ad sanctum*<sup>127</sup> Willelmum, quem precordiali semper dilexerat deuotione, deferri se fecit. Cumque iuxta sepulcrum illius adesset, diutissime orauit, candelam optulit, et quo annisu potuit, sepulcri lapidem nudis tetigit genibus palliumque quo sepulcrum operiebatur oculum male habentem summa extersit diligentia. Mira res! Operante cum fide mulieris mirifica uirtute martiris, ad lapidis continuo tactum omnis euanuit dolor ac tumor genuum, palliique beneficio, pietatis |

**58ra**

---

<sup>127</sup> ccoe

diuina male habenti subuenit oculo. Que igitur graui grauata ualitudine tristis aduenerat, celesti curata medicamine gaudens regreditur.

[xxiii.] *De altera ab aurium diuturna surditate curata.*

Neque multo post quedam Alditha Thoche cerarii olim uxor, quam ab egritudine diuturna meritis sancti Willelmi curatam in secundo, commemorauimus libello, fidei ductu ad memoratum sancti martiris sepulcrum uenit, ac surdiciei sue remedium petiit. Ex multo etenim tempore obsurduerant aures adeoque inualuerat incommodum, ut nisi tuum illius auribus os applicares ab ipsa nequaquam audiri posses. Vnde et in publicum prodire uerebatur, et non nisi domesticorum utebatur alloquiis. Timebat enim ualde ne surdiciei sue obprobrium aliene quandoque noticie prodiret in risum. Cuius rei gratia ad Sancti Willelmi suffragia confugit, candelam optulit, effusoque lacrimarum fonte, ibidem aliquamdiu orauit. Denique flexis in oratione genibus, et fidei tacta feruore, aures utrasque quo sepulchrum tegebatur oppleuit pallio. Quid multa? Temporis articulo lacrimarum deuotio celos pulsauit petentis fides diuine pietatis mi |

**58vb**

sericordiam extorsit, et auris surda auditum suscepit. Nunc quoniam admissio laxi habenis equo longius progressi sumus, fatigati cursu receptui canimus. Vtque fessi modice quietis refrigerio repareremur, labor interim intermittitur. *Explicit liber quintus. Incipiunt capitula libri sexti.*

[i.] De quarta translatione sancti Martiris a latere magni altaris ad austrum ad  
latus aquilonale, ad altare scilicet quod dicebatur sanctorum martirum.

[ii.] De filia Reginaldi de Warennia mire curata.

[iii.] De quodam a uehementissimo pedis dolore sanato.

[iv.] De quodam Ebrardo insano et sanato.

[v.] De quodam altero mirabilis insanie uiro sanitati restituto.

[vi.] De muliere insana similiter sanata.

[vii.] De puero a morbo caduco liberato.

[viii.] De ceca muliere illuminate.

[ix.] De Philippo de Bella Arbore, atque de ferreo brachii eius circulo ad  
sepulchrum sancti Willelmi confracto<sup>128</sup>.

[x.] De quodam itidem altero a dextrali ferreo ibidem mire liberato. Eiusdem  
miraculi commendatio.

[xi.] De quadam mirabili modo contracta et sanata.

[xii.] De puero gibboso contracto et curato ac denuo contracto atque iterum ut  
prius sanato.

[xiii.] De muliere miro modo inflata et curata.

[xiv.] De altera itidem gutturnosa curata.

[xv.] De homine per afflatum colubri turgido ac denigrato meritis sancti  
Willelmi sanato.

[xvi.] De uirgine cuius mire curata est mamilla. |

---

<sup>128</sup> 'confracto' on separate line above.



58va

[xvii.] **D**e saluatis in mari, et de tempestate sedata.

[xviii.] [D]e duobus ferreis constrictis compedibus et a beato Willelmo noctu peruisum liberatis.

[xix.] **D**e niso Alberti Gresle mire curato.

**Incipit liber sextus.**

[i.] **De translatione sancti martiris a latere magni altaris ad austrum ad latus aquilonale, ad altare scilicet quod dicebatur sanctorum martirum.**

**D**um mirifica sancti martyris Willelmi uirtus tot ac tantis crebresceret miraculis, solito amplius populorum frequentari cepit turbis. Et quoniam tantis tamque frequentibus turbarum impressionibus loci quo sanctus iacebat martyr non respondebat, immo et sepe molesta erat angustia, suggerente priore Ricardo et conuentu exoptante, congruus ab episcopo decernitur locus, ubi et maiori ueneratione requiescat, et absque molestia plebs ad sepulcrum confluens accedat. Erat siquidem in ecclesia Norwicensi parte boreali sub latere magni altaris cancellus, sanctorum olim martirum uenerationi designatus. Hic itaque locus pre ceteris sancto martiri congruus deligitur, quia amplus, quia in diuersorio quieto positus, quia et martyrum nomini consecrandus. Erat uero annus ille incarnationis dominice millesimus centesimus quinquagesimus quartus, in quo sub pasche die cra |

58vb

stina nonas scilicet tunc Aprilis ad exequendum tante translationis negotium accingitur pontifex Willelmus et cum pontifice sacer ille monachorum conuentus. Hac inquam die plurima populorum stipante caterua, sub memorato cancello sanctis martiribus altare dedicatur, altare eoque sollenniter dedicato corpus memorati martiris illuc summa cum ueneratione transfertur. Ibi quippe requiescit sepultus corpore, sed cotidianis choruscans miraculis uiuit in gloria. Terram illustrat membris, celum possidet meritis. Vbi acceptissimus deo martyr crebris usque in hodiernum diem prefulget miraculis quanteque sit apud deum uirtutis ac meriti, euidentibus patescit signis. Ibi quippe cecis uisum, claudis gressum, mutis loquelam et insanis sepe uidimus sensum restitui, morbidos preterea quam plurimos curatos, ac nonnullos ferro constrictos conspeximus absolui. Dumque ibi non deficient, immo et solito maiora crebrescant miracula, constat profecto quod precipua sint et preciosa in celis ipsius merita.

[ii.] De filia Reginaldi de Warennia mire curata.

**P**aucis post pretaxatam translationem diebus exactis, paruula filia

Reginaldi de Gwarennia que aliquandiu iam |

**59ra**

egrotauerat, inualescente tandem morbo ad mortem usque peruenit. De cuius nimirum salute desperabant uniuersi, quoniam sub ipso mortis confinio, quasi minimo uita eius dependebat filo. Nempe supremo filie discrimini eo amplius parentes condolebant, quo illam pre ceteris unice semper dilexerant. Denique ex consulto matris Norwicum defertur beati Willelmi curanda meritis. Quo ubi peruenit, et sepulcrum

cum oblatione attigit, continuo per gloriosi martiris sui suffragia, illi pietas subuenit diuina. Eadem etenim hora conualuit, et que moribunda aduenerat, sospes cum suis remeauit.

[iii.] *De quodam a uehementissimo pedis dolore sanato.*

Erat Norwici tunc temporis quidam, Godricus nomine, trapezeta officio, qui per multos adeo dies uno egrotauerat pede, ut uix ire, uix illo terram posset uel contingere. Cumque iam multum multo cum dolore exegisset tempus, tandem instinctu suorum ut potuit, baculi beneficio ad sancti Willelmi sepulchrum peruenit. Oblatoque ibi pede cereo quem ante factum secum attulerat, se in oratione ac uoto totum sancto martiri commendat. Verum post modicum. |

**59rb**

consurgens, iam mitigatum ualde pedis dolorem sentit, domumque cum gaudio repedans, ex toto breui conualuit.

*iv. De quodam Ebrardo insano sanato.*

**Q**uadam itidem die quidam Ebrardus quem Norwicenses piscatorium dicunt, immundo uexatus spiritu, manibus post tergum ligatis, pedibusque compede constrictum ferrea, ad sepulchrum sancti martiris multorum manibus adducitur. Vbi post paululum nexibus forte dissolutis manualibus, quos contingere poterat, unguis ac dentibus crudeliter laniabat.<sup>129</sup> Sed confluentibus plurimis resumitur, arctius coarctatur, et iuxta sepulchrum licet multum renitens reponitur. Dumque ibidem pernoctaret, nec ad modicum lingua eius garulizando cessauit, sed et tanquam multitudinis tumultus

---

<sup>129</sup> Cf. Vita sancti Martini

adesset, ita personuit. Tumultuans uero lingua non nisi ineptias personabat et blasphemias. Sub diluculo tandem paululum quieuit, ac diuina miserante gratia, per sancti Willelmi ut credimus suffragia, qui multas noctes insompnes transegerat et dies, salubriter dormire cepit. Intersertis uero pauculis uigiliis, iterum atque iterum sompno se conferebat, donec quietis beneficio nature corrupte subueniretur et cerebro.

Postmodum |

### 59va

ualde esuriens, allato sibi cibo et potu comedit et bibit, et cum gaudio circa horam nonam sanus abscessit.

[v.] *De altero mirabilis insanie uiro sanitati restituto.*

Vidimus quoque et alio tempore alterum insani capitis miro modo ante sepulcrum beati martyris furibundum quendam Robertum nomine, de parrochia sancti Michaelis de Chunigesfort Norwici. Iste siquidem insanie morbo incertis solitus erat uexari terminis atque ob eam causam ad sanctum Willelmum cum matre tunc uenerat percipiende scilicet gratia sanitatis. Sed cum uenisset ad ecclesiam, subito arreptus uexari cepit. Quem mater flens multis delinitum blandiciis introrsus traxit, et coram martiris sepulchro exhibuit. Vbi uero paululum iuxta matrem orantem quiete constitisset, assistente et intuente plurima sexus utriusque turba, confestim toto tremebundus corpore quasi dissoluitur, et inestimabili modo torquetur. Ignei scintillant oculi, horrendi personant soni. Sonos multiplices os unum intonat, hominem oblitus conuulsis pannis corpus denudat. Pudenda parent nec pudet, sui impos potenti uirtute plurima exer |

## 59vb

cet. Terrore assistens turba corripitur, stupent uniuersi, nonnulli lacrimantur, pro salute patientis exorant plurimi. Quid multa? Sancti tandem martiris ut credimus meritis interuenientibus, diuina miseratio respicit hominem et explosa debachantis spiritus insania, prestat in posterum sanitatem. Implentur populi stupore miraculi, diuinam qui uirtutem *in sancto suo*<sup>130</sup> Willelmo mirabilem predicantes, cum gaudio singuli redierunt ad propria.

### [vi.] De muliere insana sanata.

Alio quoque tempore mulier quedam de Belhahe Sieldeware nomine maligno turbata spiritu Norwicum a suis sancti Willelmi curanda meritis adducitur. Que cum ad ecclesie peruenisset introitum, ibi ducibus restitit suis, atque a fortissimis quatuor uiris uix introrsum pertrahi potuit. Illa uero admirabili conualescens uirtute tenentium elabi *manibus*<sup>131</sup> temptabat, et clara uoce personans dicebat: 'Quid mihi uultis? Quo me trahitis? Illuc illuc nullatenus ibo!' Tum illi collatis uiribus eam uiolentius arripiunt peploque capiti sublato, brachia et zona,

pedes constringunt. Constricta, igitur ad sepulcrum sancti martiris |

## 60ra

clamans et eiulans defertur, ac prope illud monachi custodis assensu deponitur. Ab ea statim hora mitius se habuit, clamoresque ineptos repressit. Timebat etenim hostis ut credo malignus suis illum clamoribus inquietare et inquietatum nimis

---

<sup>130</sup> ccoe

<sup>131</sup> ccoe

offendere, cuius uicinie sibi formidabilis presentiam presentem sentiebat adesse. Cum ergo inibi satis pacifice se haberet, qui insanam adduxerant, iam sanam crediderunt. Amouetur hac de causa eminus, in secessus diuersorio, eoque securius quo iam sana creditur, eoque iustius, quo plebs ad sepulcrum cum oblationibus confluens eius presentia non impediatur. Amotam uero sed adhuc tamen modo quo predixi constrictam, malignus itidem ut prius inuasit, et uexauit spiritus. Ex quo patenter conici datur, quoniam beatum martirem ualde timebat, in cuius presentia eam uexare ausus non fuerat, quam et modo absentem presens ipse torquebat. Porro mulier humi iacens, nunc talis tellurem conculcabat nunc dentibus uincula quibus artabatur discerpere conatur. Tum detestabiles ruminat ineptias, tum uocibus horrendis complet ecclesiam. Tam miserabili spectaculo multa hominum confluxerat multitu |

**60rb**

do. Ego quoque forte interfui, qui misere compassus, iterum prope sepulcrum illam reponi precepi. Quo facto, confestim ac si nichil antea mali pertulisset, quieuit, nullumque in ea insanie signum apparuit. Presertim post paululum sompno capta, que multis antea diebus non dormierat, non cibum sumpserat, dormire cepit, atque duobus semis diebus et una nocte continuo quieuit sompno. Tercia demum expergefata die, cibo allato et potu fatiscentem recreauit spiritum. Reddita itaque sanitati pristinae mulier, celeste remedium percepit, quo corpus salubritate et anima fide conualuit.

[vii.] *De puero a caduco morbo liberato.*

Miles quidam de Haghele Ranulfus nomine filium habebat, qui caduco morbo per multos annos laborauerat. Hic ad sanctum Willelmum a suis quandoque adductus,

orationem fudit, oblationem optulit, et uelut postea matris nuntio didicimus, morbi illius molestiam ulterius non sensit. Venit et alius quidam de Luthingelant cuius nomen animo excidit, cum uille sue presbitero, qui scilicet rusticus similiter caduco laborabat morbo. Adeoque infestabatur incommodo, ut nulla omnino dies transiret, qua morbi illius molestiam non sustineret. Verum cum |

#### **60va**

ad uenerabile beati martyris uenisset sepulchrum, aliquamdiu in oratione perstitit, candelam optulit, et quod pie postulauit, fideliter optinere meruit. Diuina enim meritis sancti Willelmi propitiante gratia, non ulterius egritudinis sensit solite inquietudinem atque eius rei postmodum tum ab ipso tum ab aliis, sic se habere cognouimus ueritatem.

#### **[viii.] De ceca illuminate.**

Sub ipso tempore in Lunna in parrochia Sancti Edmundi, mulier quedam erat Gilliua nomine Burcardi carpentarii filia. Hec die quadam casu uisum perdidit, eiusque oculos per triennium cecitas dampnauit. Ad cumulum uero infortunii tantus palpebris incessit dolor, oppressit angustia, ut toto illo triennio cilia semper clausa, et quasi uisco conglutinata haberet, neque illa quandoque aperire posset. Excurso tandem triennio, ad beati martiris Willelmi refugium tanquam ad unicum et singulare remedium confugere disposuit, eoque fiducialius quo et alios simili cecitate dampnatos, fama promulgante ad sepulchrum eius curatos didicit. Iuuenis nepos illius tradito funiculo preuius ducatum prebuit, cuius illa ducis beneficio Norwicum |

#### **60vb**

tandem ad sanctum Willelmum peruenit. Astans uero coram altari, orare cepit, modicaque orationis executi particula, reliquum subita doloris uehementia intercipitur. Turbatur siquidem caput, oculus uterque uapore quodam igneo corripitur, unguibus frons et gene uelluntur. Deseuiente angustia, humi misera deuoluitur et quasi furiis agitur per pavementum uolutans, immensis et horrendis clamoribus totam repleuit et turbauit ecclesiam. Verum inter dolorum aculeos uoce uociferans clara, talia interdum *interserebat*:<sup>132</sup> ‘Alme puer et martyr Willelme, miserere mihi misere, qui et aliis frequentissime misereris.’

Concurrit ad spectaculum multitudo popularis, que die illa ad ecclesiam turmatim processerat. Visa illius<sup>133</sup> doloris uehementia, uniuersi compatiuntur, ac pietatis commoti<sup>134</sup> uisceribus, preces pariter fuderunt et lacrimas. Erat in tam miserabili spectaculo, sexus disparis par fletus, uotum et eiulatus. Quis enim adeo lapideus talia cerneret, et non compunctus lumina fletibus contineret? Post tantos denique labores et cruciatus, diuine miserationis intuitu interuenientibus beati martiris ut reuera credimus |

### 61ra

meritis, paulatim cepit mitescere dolor. Tum illa celestis remedii sentiens aduentum, e terra surgens erectis ad celum manibus cilia que antea obclusa habuerat nec pre dolore uel ad modicum aperire poterat, tunc aperuit, statimque sanguinis quasi radius ab utroque oculo eminus prorumpens effluxit. Nec mora, quasi quadam noui

---

<sup>132</sup> ccoe

<sup>133</sup> ccoe

<sup>134</sup> ccoe



luminis renascente aurora, diurne cecitatis nox illa depellitur. Videns illa quam diu non uiderat, et diu desiderauerat lucem, letatur et ait: 'Nunc tibi, Deus altissime uniuersorum conditor et reformator, tibi quoque sanctissime Dei martir Willelme, debitas laudes et gratias persoluo quoniam et post tantos dolores quietem et, post triennii continuam cecitatem, uisum recipio.' His dictis sanguinem ab oculis extergens et gressum mouens, sepulcro sancti martiris propius accessit, orauit, allatam sibi candulam optulit, et ad populum se conuertens, se uisum recepisse predicauit. Admiratur assistens populus. Luctus mutatur in gaudium, parique uniuersorum clamore ad laudem dei gloriosa et manifesta beatissimi martiris Willelmi uirtus extollitur.

[ix.] De Phillippo de Bella Arbore et de |

**61rb**

ferreo brachii eius circulo confracto.

Crescebat cotidie admiratio, et fama sancti martiris. Confluebant ad eum ex longinquis etiam regionibus plurimi, absoluebantur uincti, curabantur infirmi, et qui tristes aduenerant, regrediuntur leti. Christus nimirum gratiam quam sancto suo contulerat inditiis mirabilibus dilatabat. Dumque magnis maiora, et miraculis succedunt miracula, non immerito beato martiri cuius hec fiunt meritis, laus crescit, et fame diffusioris gloria. Que uniuersa prout gesta sunt si commemorem, parabit prolixitas congesta fastidium. Ea propter pie lectoris deuotioni stilo simplici perstringimus, que relatu digniora uel famosissima iudicamus, quibus nec percurrentis uulneretur animus, nec deuotionis tepescat affectus. Igitur opere precium reor

affectuosam legentium inuitare, inuitatam accendere, accensam amplificare deuotionem, illum reuera admirabilem Philippi de Bella Arbore propalando euentum. Is de regione Lotharia oriundus erat, nobilis genere, miles professione, mundane potestatis preminens honore. Terram amplam, et castella plurima paterne hereditatis iure optinebat, sed |

#### **61va**

frater quem aduersarium habebat ac rebellem, tum fraude tum rapine uiolentia, debitam sibi possessionem maxima ex portione imminuerat. Vnde contigit, ut fraterne dilectionis affectum a germanis mentibus sub intrans et paulatim pullulans excluderet odium. Iamque in tantum succreuerat odii malitia, ut alter non nisi alterius sitiret cruorem, non nisi in alterius nece suam consistere speraret salutem. Dumque cuiusque salus et periculum fortune uersaretur alea, forte contigit ut Philippus, dum die quadam cum militibus suis itineraret, ex insperato rebellem germanum cum paucis obuium haberet. Quo casu perterritus ille, uersis frenis, omnem in celeritate fuge spem salutis posuit. Fugiens uero ad propinquam diuertit ecclesiam quam sub religionis habitu deo famulantes inhabitabant canonici. Hanc igitur quasi singulare salutis sue asyllum cum suis tremebundus ingreditur, fores seris obserantur. Nec mora, cursu concito persequens Philippus aduenit, preclusas fores offendit, hostemque furens sibi reddi requisiiuit. Cumque precibus ac minis diutius persisteret, et se incassum labora sentiret, ignem postremo |

#### **61vb**

furibundus admonet, ut uel ignis horror extorqueat, quod minarum terror non ualebat. Igitur admoto igne, et incumbente fortius uento, ecclesia, pro nefas, cum officinis incolis immo, et que inerant, uniuersis concrematur, locusque in planitiem nudam redigitur. Paruipendit uictor patratum facinus, quoniam hoste scilicet consumpto nimia pre leticia uictoris extollitur animus. Porro res tam crudeliter gesta diu latere non potuit, quia et sub ipso actionis articulo, fama quod gestum est, iam circumquaque diuulgauit, ac demum archiepiscopo Treuerensi, de cuius diocesi idem Philippus erat, res ipsa innotuit. A quo ille semel secundo ac tercio euocatus, super tanto scelere conuenitur. Sed ut heri et nudius tercius insolens repertus et contumax, prout christiane religionis decernit rigor, excommunicationis tandem sententia plectitur, terraque eius uniuersa, ut mos habet ecclesiasticus, anathematis uinculo innodatur. Verum ille iuuenili feruore feruens effrenis et effrunitus uniuersa nichili pendit, deum et homines non reueretur, furiisque inuectus, in malitie proposito quod ceperat

biennio irreuocabilis |

**62ra**

perseuerat. Interea crebris interdum suorum monitis defatigatus et tandem persuasus, redit ad cor seuissimus iuris preuaricator. Et quoniam 'dira rectum non conspicit ira',<sup>135</sup> ira cecus patrati facinoris uehementiam quam necdum diiudicauerat, ad se postmodum reuersus uehementer exhorrescens deplorat. Quandoque igitur humiliatus, ac toto corde consternatus, archipresulis pedibus lugens prouoluitur, ueniam petit promeretur. Ipsum itaque cum sociis malefactoribus ad papam tunc

---

<sup>135</sup> source?

temporis Eugenium archiepiscopus dirigit, criminis modum litteris inserit eosdemque papa cum penitentiae rescripto ad mittentem remittit. Quid multa? Lorica Philippus nudam ad carnem uestitur, gladio proprio circumcingitur, ferro brachia circulantur. Exilium preterea et peregrinatio decennis indicitur, loci sacri reparatio fieri iubetur. Quique nefandi consodales pariter extiterant facti, et in pena non dispari compares sunt effecti. Ita itaque ferro pariter dampnati, pariter exeunt de terra, et de cognatione sua, tempore prefinito peregrinantes in aliena. Emensis denique plurimis per septennium regionibus diuine miserationis intuitu, Philippus ille apud Ierusalem |

### 62rb

coram dominico sepulcro diruptis ac dissolutis lorice sue maculis, mulcte<sup>136</sup> sue maxima liberatus est portione. In Hibernia quoque apud sanctum Brendanum, diuine uirtutis gratia, quo circumcingebatur interruptus est gladius. In Anglia uero apud Norwicum, ad beatissimi martiris Willelmi sepulcrum ferreus brachii dextri confractus est circulus. Dum enim post diuturnam peregrinationem plurimas Anglie penetrando regiones, ueneranda sanctorum loca requireret atque suffragia, diuina ut credimus illum trahente gratia, Norwicum ad iam famosissimum egregii martiris Willelmi sepulchrum aduenit. Vbi dum pie deuotionis preces effunderet, subito in oculis nostris dextri brachii crepuit ferrum, cuius sonitus aures reddidit attonitas assistentium. In qua reuera operatione martiris, diuine nobis patenter claruit uirtus pietatis. Cuius rei tam glorioso spectaculo accurrit sacer ille monachorum conuentus deumque in sancto martyre suo mirabilem predicans, laudes ei debitas exsoluit et gratias. Nempe illis

---

<sup>136</sup> cc above the line

credendum non censeo, qui huiusmodi facta trutannorum asscribunt fraudulentie.

Quicquid enim malitiosi girouagi uictualis gratia questus agant, nos utique quod oculis nostris reuera |

### 62va

conspeximus, audacter protestamur. Quin ad fidei argumentum certum ueritatis accessit testimonium.

Erat siquidem diebus illis Norwici mercator quidam Coloniensis qui de regionibus illis nauigio uinum attulerat. Hic memorato uiso Philippo, quem prouintia Treuerensi quandoque uiderat recognouit et que fama uentilante de ipso postea didicerat, nobis retulit. Vnde constat que de illo scripsimus et uerissima esse, et detrectoribus super hoc credi non debere.

### [x.] De quodam altero a dextrali ferreo liberato.

Sed neque silentio pretereundum estimo de Glewo, quem ob reatus sui olim noxam ferro dampnatum, sanctique Willelmi postea liberatum conspeximus meritis. Hic Lincolniensis prouintie indigena erat, et in uilla que Repham dicitur ab ineunte manens etate, domos in ea quandoque terram et parentes habuerat. Fuerat autem illi frater, natu quidem maior, sed hoc solo fortior quia ditior. Porro qui tanta possidebat quanta tali sufficere debuissent, amplificandi agri cupiditate ductus memorato fratri agrum uiolentia surripuit, quem scilicet sibi ob uiciniam per necessarium iudicauit. Dum uero frater fratrem affectu fraterno et satis placide |

### 62vb

sepius coram amicis et parentibus super ea uiolentie iniuria conuenisset, et ille iam insolens et elatus nullatenus adquiesceret, eo maiori dolore isdem Glewus exarsit, quo malignam fratris insolentiam omnimodis irreuocabilem conspexit. His irritatus, et magis ac magis paulatim exacerbatus iam se fratrem oblitus, omnem f[r]aterni amoris exuit affectum. Iam iamque tanquam hostis externus mente turbida uoluere cepit, cuiusmodi uindicta uiolenti hostis uindicaret iniuriam.

Dumque in his eius agitaretur animus, contigit die quadam uiolentum illum surreptum inducto aratro excolere agellum, atque ibidem cum duobus pariter filiis consistere. Quo alter audito, arrepta protinus furca ferrea in agrum prodit, in fratrem et nepotes insurgit, eosque cum furca interemit. His ita gestis, Glewus ille tam execrandi patratore facinoris in contionem rapitur, de fratricidio accusatus exilio condempnatur. Vnde penitentia ductus, Willelmi Lincolniensis archidiaconi assensu, quem super reatus sui consuluerat consilio, peremptricis furce ferro dexteram fratricidam circulauit, sacco cilicino se induit atque a patria in octennium exul progrediens, loca sanctorum per totam Angliam miserationis op |

### 63ra

tentu peragrauit. Exacto itaque sub hac peregrinatione triennio, fines tandem episcopii Norwicensis ingrediens, Bedricheswurthe peruenit, atque ecclesiam in qua egregius rex et martir requiescit Edmundus, orandi et ueniam postulandi causa subintrauit. Qui cum in presentia sacri martiris erectis sursum palmis preces cum lacrimis aliquamdiu effudisset, subito ferrum uirtute confractum diuina crepuit, sed nescio quo diuini secreti consilio, licet ad pollicis mensuram fractura panderet hiatum,

ita tamen circa brachium immobile permansit. Sicque res gerebatur, ut una confracti circuli extremitas carni strictissime se imprimeret, alteraque cuti superficietenus adhereret. Vnde contigit acerbiorem inferri molestiam cum confractum fuerit, quam dum solidum perdurauit. Tam acerba igitur constrictus molestia, se malle predicabat ad sanctum Edmundum non uenisse, quam uirtutis eius potentiam taliter degustasse. Subsequenti uero, uelut ipse nobis postmodum retulit, nocte, a beato Edmundo per uisum ammonitus est, quatinus propere Norwicum transeat, ibique ad sepulcrum sancti martiris Willelmi diuine de reliquo misericordie expectet absolutionem. |

### **63vb**

His ille animatus, mox Norwicum ad sanctum properat Willelmum, ubi per dies aliquot desiderabilis illius promissi prestolatur effectum. Quo fideliter in spe promissi prestolante, die quadam dum ad sepulcrum beati Willelmi extensis ad celum palmis supplicaret, subito ille ferreus dextere circulus ex aduerso confringitur, ita ut in duas scilicet partes diuisus uideretur. Vna siquidem pars uirtute quadam diuina longe retro quasi proiecta dissiliit, altera coram eo super pauimentum decidit. Cui spectaculo multa plebs affuit, et exsoluendas diuine gratie gratias et laudes conuentus conuenit. Pontifex quoque Willelmus audito tam eximie uirtutis preconio accurrit, atque examinata ueritate, dominice laudis ymnum monachis et clericis sibi uicissim respondentibus effusis pre gaudio lacrimis inchoauit.

### **Miraculi commendatio.**

Libet his paulisper subsistere et in admiratione tanti miraculi interim spaciari. 'Sapientia dei abissus multa'<sup>137</sup>, in qua siquidem abisso si rationis humane intuitus singulas rerum inuestigando uel diiudicando causas discurrat, constat profecto, quoniam finem non inueniens aut in se redeat, aut per illicita cursitando errorem incurrat. 'Incomprehensibilia sunt' enim 'dei iudicia, |

### 63va

et uie eius inuestigabiles.' Igitur inter cotidiana nostri temporis miracula, quare hic curetur, et ille non exaudiatur, cur ibi iste absoluatur, et alibi non liberetur, noli uelle discutere, nisi uelis errare. Nouimus quippe ac pro certo tenemus, regium martirem Edmundum et beatum puerum ac martirem Willelmum magni reuera apud deum esse meriti, quos pro eius amore coronatos constat palma martyrii. Ille antiquorum triumphauit temporibus, iste nostri temporis passus est diebus. Sustinuit ille paganos in legem Christi deseuentes, pertulit iste iudeos in se quasi mortem Christi reiterantes. Ille uero usque in etatis nostre annos mirificis<sup>138</sup> effulsit signis, iste cotidianis crebrescit miraculis. Veruntamen in hoc quod in presentiarum memorauimus eximie uirtutis signo, uelut ipsa res indicat pari pariter cooperati sunt beneficio. Ferreum enim ut prelibauimus ille circulum una ex parte confregit, iste ex altera dissoluit. Hec cum ita sint, non tamen his hunc illi preferendum astruo, neque illum huic inequalem affirmo. Sed neque ex hoc cuiuspian in nos moueatur inuidia, si in miraculorum exhibitione beatissimum martirem Willelmum ceteris |

---

<sup>137</sup> Eccles. 1?

<sup>138</sup> ccoe



## 63VB

sanctis quasi conferimus quoniam, cum sancti sue uicissim glorie non inuideant, cur pro ipsorum miraculis inuidie morsibus nos inuicem laceremur? Vnum aliquem induco, ad quemlibet tamen loquor. Si igitur ecclesia nostra per sancti martiris nostri clarescat merita, nunquid ideo uilescere cogitur uestra? Nunquid si uestra in laudis conualescat augmentum, nostra ideo cadere compellitur in uituperium? Cesset, cesset liuoris mordacitas, parique pariter uoto sanctorum magnalia et diligendo recolamus et recolendo magnificemus. Quisquis es denique, cuius animum questio pulsatur, quare scilicet gloriosus rex Edmundus et tante uirtutis martir uel Philippum illum cuius premiseram mentionem non absoluerit, uel hunc saltem Glewum non penitus liberauerit, constanter respondeo, quia si uoluisset, credo quia et posset. Sed quia non sunt nostri iuris diuini cause secreti, noli in altum extollere sapientie tue cornu, ne si ad sobrietatem non sapias dissolutus desipias. Quod tamen de Glewo fideliter astruere possum, breuibus absoluam. Velut ex rei geste modo conicimus, uel in hoc saltem miraculo gloriosus rex et martyr Edmundus gloriosum martyrem Willelmum habere uoluit |

## 64ra

comparticipem quem sue regionis contigit in martirio habere consortem, et quod ipse inchoauit, huic peragendum direxit. O quam preclara dei summi uirtus et sapientia, que ita in sanctis suis mirifice operatur, ut ipse in ipsis et ipsi per ipsum magnificentur.

[xi.] *De quadam mirabili modo contracta et sanata.*

**M**ulier quedam Matildis nomine tempore illo erat, quam ab adolescentie flore debilitas dolenda dampnauerat. Facta est siquidem ab ea etate adeo corpore imbecillis, ut curuata dorsi spina, et ipsa fieret curua, et cancellatis cruribus in nexa uicissim colliderentur genua. Vnde contigit, quod si quandoque de loco se ad locum transferre uoluisset, imbecillia baculo membra sustentans, uel gressu modicum proficeret uel nonnumquam nec in modico preualeret. Hanc Petrus presbiter de Langeham uilla episcopali per multum tempus elemosina gratie in domo sua tenuit, pauit, et uestiuit. Quam si quandoque recuperande sanitatis gratia sacra uisitare loca concupisset, illuc equo ad instar sacci pleni in transuersum deportare faciebat. Verum ubi labori fructus non respondisset, domum qualis fuerat referebatur. Per crebres |

**64rb**

cente tandem uirtutum tam frequentium sancti Willelmi preconio, spem illa recuperande per ipsum sanitatis concepit. Vnde non modicam confidentie concipiens alacritatem, baculo assumpto uersus Norwicum iter arripuit. Porro gradiens illa magis animi feruescentis proficiebat motibus quam materiali pedum obsequio, modicum propriis confisa uiribus, sed plurimum sustentante fidens in baculo. Erat in passu uix digitalis amplitudo, inter passum uero et passum morosa dilatio, ut, *si*<sup>139</sup> gradientem cerneret, testudinem tardiolem non iudicaret. Ex quo nimirum contigit, ut duodecima die ante tunc temporis quadagesimam<sup>140</sup> iter incipiens, quarta paschalem post solennitatem ebdomada Norwicum perueniret. Veniens uero mox ut ecclesiam

---

<sup>139</sup> cc above the line

<sup>140</sup> cc above the line

episcopalem subiit, pedum plantas quasi spinosis quibusdam aculeis perurgeri sensit. Stans autem ante sepulcrum gloriosi martiris et imbecillia<sup>141</sup> baculo membra sustentans, extensis in orationem palmis, totam coram deo animam effudit, sed media orationis uerba dolor subitus interrupit. Perurgente doloris angustia humi deuoluitur humumque capite, humeris, pedibus et palmis contundens, clam |

#### 64va

mosisque uocibus complens ecclesiam, miro ac miserabili se agebat modo. Quis inquam tam ferreus, qui talia cernens astantibus consisteret et a lacrimis lumina contineret? Denique post tantas tortionum angustias, estus tanti quieuit doloris, uelut, uentorum sedata rabie, turbati seuitia quiescere solet equoris. Surgit itaque post paululum mulier, et quoniam et adhuc debilis erat uiribus, ad maceriam se contulit, palmarumque beneficio per cancellatas gradiens columnellas, ad desideratum beati martiris sepulcrum tandem peruenit. Vbi uota soluens et gratias, ibidem per aliquantam horam diei gratulabunda permansit. *Deinde*<sup>142</sup> conuersa ad circumstantium multitudinem, constanti protestabatur eloquio, quanta beati Willelmi meritis in se patrata sint magnalia. Quia uero infidelis quispiam et incredulus id magis fallacie ascribebat quam miraculo, se illa Norwico nullatenus discessuram iurauit, donec dominus ille suus prenominatus scilicet de Langeham Petrus ueniret, qui ueritati testimonium perhibens garrulam *illam infidelitatis*<sup>143</sup> litem dirimeret. Que et ita gesta

---

<sup>141</sup> cc above the line

<sup>142</sup> ccoe

<sup>143</sup> ccoe

sunt, quoniam et ipsa Petri illius prestolata est aduentum, et ille ueniens ueritati perhibuit testimonium. |

#### 64vb

#### [xii.] De puero gibboso contracto et sanato.

Erat quoque in uilla que Wurtham dicitur quidam Godricus nomine ex cuiusdam Roberti Galensis nepti filium habens decennem, quem imbecillitas diuturna dampnauerat, et de die in diem morbi uigor inualescebat. Percurrente per artus molestia, arefacti nerui contrahuntur, et incuruata dorsi spina dorso gibbus innascitur. Fit itaque puerulus de recto contractus, et adherente genibus uentre cum ambulare proponeret, applicatis ad genua uel terre palmis, ipsa uel ipsam pro podio haberet. Medici frustra laborantes adhibentur, luctus solus parentibus reseruatur, unde ad gloriosum dei martyrem Willelmum spes tarda conuertitur. Norwicum ergo manuali uehitur uehiculo et iuxta sepulcrum sepedicti martiris exponitur. Pater indulgens lacrimis, gaudia filio mercatur sanitatis. Res mira et seculis nostris admiranda! Sub ipsa enim aduentus eius hora uniuersa imbecillitatis loca uirtus medicabilis percurrit, uirtutemque preuiam sanitas festina subsequitur. Ariditas succum, nerui officia suscipiunt. Extendentibus uero se neruis |

#### 65ra

maximis puer afficiebatur doloribus, quibus anxius, lingua patria 'Patrem patrem' clamitabat. Pater uero sanari cernens filium, exultat. Post pauca erigitur puer, atque in conspectu omnium et filio incolumitas, patrique filius restituitur. Congaudet nimirum filio pater et procedit cum patre filius hilaris et erectus qui tristis aduenerat et

contractus. Consumpto autem Norwici triduo, pater cum filio domum regreditur et post dies aliquot nescio quo casu siue infortunio pristinae molestiae reiteratur imbecillitas. Super quo consultis pater amicis, ad piissimum martirem filium refert imbecillum ut clementissima illius pietas iterate filii molestiae iterata conferat remedia. O quam benigna diuinae uirtutis gratia, quam pia est piissimi martiris Willelmi clementia! Relatus puer quemadmodum primo, ita et nunc sospitati redditur atque in ipso iterum dei magnalia glorificantur. Quamobrem pater prouido usus consilio, multis ibi diebus perhendinare permisit filium utpote puero martyri puerilibus famulaturum obsequiis. Coniciebat siquidem ex ante gestis sanctum martirem et puerum uelle, ad tam eximie uir |

**65rb**

tutis argumentum, sanati pueri permanere presentiam in testimonium.

[xiii.] *De muliere miro modo inflata et sanata.*

**M**iris admiranda succedunt, quae si uniuersa quae gesta sunt prout gesta sunt exequar timeo ne uel fastidio lectorem prolixitas afficiat, uel moderationis limitem liber excedat. Ea propter numerositatis declinans siluam, in planiciem pro deo, flosculos per paucos excerpo, quibus mentis uestre demulceatur oculus, et ad suscipiendum inuitetur affectus. Igitur mulier erat de Brandeneia Wimarc nomine quae regis Stephani temporibus quando dies mali fuerant, pro uiro suo a predonibus comprehenso apud Geinnesburc data est obses. Loco igitur uiri sub carceris ergastulo posita, cum tribus aliis mulieribus et uiro uno carcerali diu permansit in custodia. Qui cum pariter algores, inedia, fetores, buffonum incursiones multa cum molestia diutius sustinuissent, de

custodis sui nece unanimi consensu tractare ceperunt, tanquam in eius morte ipsorum liberatio consisteret, et in uita periculum. Quoniam igitur idem carceris magister et custos cum eis potare<sup>144</sup> solitus |

### **65va**

erat, quotiens illis ceruisie potus inferebatur, buffonum ueneno, quorum ut premisimus habundabant copia, sibi de more illatum potum infitiunt eique ad potandum inuitato, cifum pariter et mortem porrigunt. Verum ille siue dei nutu conseruandus siue aliqua tunc suspicione permotus, quod sibi porrexerant ipsis pregustandum indixit. Ad hec illi fraude quasi iam intercepta, erubuere confusi, expalluere perterriti, dirriguere stupefacti. Hoc uiso custos ea indicia concepte malitie percepit fore presagium, dum in deprehensis tam patens confusionis cernit argumentum. In ipsos itaque proprie flagicium malitie retorsit, omnesque una eundem potum exhaurire coegit. Ad quod uellent nollent compulsi actores mortis fiunt proprie qui machinatores fuerant aliene. Nec mora, serpente per singulorum singulos artus ueneno, omnes pariter miro ac miserabili modo in tantum intumuerunt ut si illos cerneres, cutem statim rumpere non dubitares. Quid plura? Virus discurrens uniuersa occupat, quo preualente, sub mortis uestibulo uita periclitatur. Moriuntur ceteri; Wimarch superstes permanet. Efferuntur itaque illi quia mortui, emittitur |

### **65vb**

et illa quoniam creditur et ipsa iam moritura. Vita siquidem illi reseruatur, siue quia minus ceteris hauserat, siue quia diuina eam clementia saluandam disponebat.

---

<sup>144</sup> coe, was “portare”.

Felix utique, quia mortem imminentem euasit, sed in hoc misera, quia tumorem prodigialem septennio non amisit. Membris quippe uniuersis ultra quam credi possit sanie tumentibus non hominis in illa denotares effigiem, sed noui alicuius monstri figuram prodigialem. Vnde et corpus illud monstruosum horrendum dabat intuentibus spectaculum. Quod reuera si cerneres, cutem tam ualide tensam non rumpi mirareris. In quibus posita angustiis misera mulier, dum tanti tumoris uitium perseuerare cerneret, ad medicos se contulit, in quibus quicquid habere poterat expendit. Medicorum uero consulens industriam, laborem perdidit et impensam, sed exinde ad pietatis diuine confugiens asyllum, salutare meruit inuenire remedium. A medicis enim ubi se destitutam et deceptam conspexit, sanctorum postulanda suffragia eorumque loca peragrandam censuit. Quibus per multum tempus peragratis, tandem Norwicum peruenit |

#### **66ra**

ibique aliquanto tempore morari et diuinam sancti martiris Willelmi suffragantibus meritis misericordiam prestolari decreuit. Cumque iam ibi multos exegisset dies, die quadam sollenni dum sollempniter ante sepulcrum beati martiris plurima plebis conuenisset multitudo, et ipsa multitudini interesset, de multitudine prodiens ad sanctum et uenerabile accessit sepulcrum et festinum sanitatis percepit remedium. Mox enim ubi genua flexit breuique fusa oratione sepulcro labia impressit, omnem illam sanie uirulentam pauimento euomuit. Quale autem sit quod euomuerit, quid aliud dicerem nisi quoniam horribile, quid immo et uisu intollerabile fuit?

Tantaque<sup>145</sup> illius quantitas erat, quanta permaxime capacitatis uas compleri potuisset. Quod et continuo teterrimus ac intollerabilis consecutus est fetor qui et nares assistentium offenderet, eosque loco excedere perurgeret. Qua de re locum sacriste sacrum spurcitia illa purgari fecerunt, herbisque sterna redolentibus. Misera uero mulier ecclesiam confestim exiens, quicquid residui uisceribus infuit totum |

### 66rb

funditus euomens effudit. Vnde et mirabile illud sub unius hore contigit spatio, ut que antea, uelut premisimus, ultra quam credi possit tumens fuerat, statim effusa sanie adeo gracilis et sospes appareret, ac si nichil unquam tumoris nichilque mali pertulisset. Curata igitur, deo ac sancto Willelmo gratias egit, Romam petiit, et que sibi contigerant pape Adriano enarrauit. Exinde sospes remeans multo tempore ad testimonium miraculi in hac luce permansit.

### [xiv.] De altera gutturnosa curata.

Erat et altera mulier Gillilda nomine uxor cuiusdam Turgeri de Middelhale que a multo tempore gutturnosa fuerat, eoque incommodo miserabiliter laborabat. Perurgente uero doloris molestia, et ipsa quoque facies cum mento intumuit. Vexabat eam dira tumoris pariter et doloris acerbitas, cumulabat molestiam continua per biennium morbi diuturnitas.<sup>146</sup> Dolor uehemens et perseuerans erat, iugis inter tormenta gemitus somnum capere non sinebat. Denique post tantos et tam diuturnos cruciatus suorum monitis se glorioso dei

---

<sup>145</sup> cc above the line

<sup>146</sup> cc above the line



martiri Willelmo uouit, factaque in illius nomine et honore |

### 66va

candela, guttur et cetera que intumuerant circumdedit. Mira res! Mox ut candela guttur turgescens tetigit, cute pluribus subito locis quasi explosa, sanies ibi diu concreta effluere cepit. Neque fluxus ille cessauit, quousque mulier ipsa a tumore pariter et dolore liberata fuerit. Curata tandem, cum uiro suo iter arripiens Norwicum uenit, uotum soluit, liberatori suo gratias egit, domumque cum suis gratulabunda remeauit.

### [xv.] De homine per afflatum colubri turgido et curato.

Illud quoque silentio tegi incongruum duximus quod duobus presbiteris referentibus, Gaufrido scilicet de sancto Christoforo et Radulfo filio quondam Heruei pistoris, aliis quoque nonnullis id ipsum attestantibus profecto cognouimus. Erat siquidem homo quidam de Blitheburc prenominatis cognitus presbiteris ruri manens, diues ac necessariis plenissime habundans. Hic dum mense Augusti post messorum suos in agro consisteret, ex improviso coluber mire et in usitate magnitudinis sibilans sibilans terribilibus erecto in altum capite ex aduerso in ipsum impetum fecit. Re tam subita primum ille attonitus et exterritus, reuocato |

### 66vb

postmodum animo se ad se collegit, arreptoque de uicina sepe palo, in colubrum surrexit, eumque quantum uires administrabant percussit. Male tactus coluber, arrepta quasi parte sui media, in percutientem impetu feroci fertur, sed palo repercussus repellitur. Vnde ex ore cum sibilo terribili uapore quodam sulphureo in aduersum

*hostem*<sup>147</sup> emisso, ipsum continuo pestifere *infecit*<sup>148</sup> anelitu. Tum ille maiori deseuiens ira, in eum acrius insurgit, crebrosque congeminans ictus, cum duobus tandem quos uentre habebat gemellis matrem interemit, atque in signum uictorie palo pariter affixit. Ex inde ad messorum remeans, uix ab eis potuit agnosci, quoniam quasi ex sufflato et turgenti toto corpore ac denigrato iam illum contigerat immutari. Nec mora, dolore grauissimo occupantur artus, languescunt singula, periclitari uldebatur uita. Quid ultra? Messorum manibus domum refertur; per triduum sine uoce iacens et sensu mortuus creditur. Tercia demum die quasi reuiuiscens respirauit, languentes oculos aperuit et ad amicos cir |

#### 67ra

cum assistentes lumina conuertit et ait: 'Ecce morior, nisi diuina mihi citius subueniat misericordia. Nunc ergo gloriosi martiris Willelmi me trado patrociniis, cuius utique meritis me sanari posse credo et confido. Itaque quamtotius corpus meum in longum et transuersum filo mensuretur,<sup>149</sup> ad cuius longitudinem in illius; nomine fiat candela, quam sospitate reddita pedes ipse ad ipsum deferam.' His dictis, pro uelle disponentis confestim fiunt omnia. Mira dictu, sed in re uera admiranda uelocitas. Sub ipsius enim temporis articulo quo ipse scilicet mensurari et candela fieri cepit, uniuersus tumor penitus exinanitus euanuit, atque, ut magis admireris, ita factum est ut nec minimum tumoris in eo uestigium appareret, ac si nichil antea incommodi pertulisset. Quo tam ueloci diuine pietatis exhilaratus beneficio, surgens, ad gloriosum

---

<sup>147</sup> contemporary marginal addition

<sup>148</sup> ccoe

<sup>149</sup> cc above the line

liberatorem suum martirem Willelmum uenire properauit, ueniens uoti propositum persoluit, quo soluto ad propria letus repedauit.

[xvi.] De uirgine cuius mire curata est mamilla.

**E**odem quoque tempore uirgo quedam Matildis nomine de Suathefelt cuius  
**67rb**

pater Rathe uocabatur, intollerabili dextere mamille dolore afficiebatur ac tumore. Quippe ad cumulum molestia nouem foraminibus ex mamilla sanies usquequaque profluebat plurima. Tanto illa per diuturnum tempus detenta incommodo, multaque in medicis sibi nichil proficientibus facta expensa, humane renuntians ad diuinam se contulit medicinam. Assumens itaque portionem cere non modicam, eam sancto Willelmo uouit, ex qua et male habentem circumdedit mamillam. Quo facto, res uera contigit ualde stupenda. Velut enim patris eius relatu didicimus, mox ubi mamille subtracta est cera, dolore sedato quies successit, tumor omnis subsedit, arescentibusque<sup>150</sup> paulatim foraminibus sanies exundans imminui cepit. Cuius parentes tam festino filie congratulantes beneficio, eam statim Norwicum ad sanctum deduxerunt Willelmum. Quo illa adueniens oratione fusa gratias egit, ceram optulit, mamillamque extrahens nudam ea intentione applicuit sepulchro, ut scilicet quia foraminibus adhuc aliquantulum effluentibus plurimum timebat, inde quoque uelut de reliquo |

**67va**

---

<sup>150</sup> cc above the line

beati martiris ope segura redderetur. Presertim ad id agendum spes inuitauerat, fides edocuerat; unde et quod tanto mentis affectu sperauit et credidit, confestim optinere promeruit. Vbi enim attigit lapidem mamilla, sub ipsa utique hora desiccata et clausa paruereunt mamille foramina. Sospitate igitur ad uotum plene suscepta, domum cum suis gaudens regreditur.

[xvii.] De saluatis in mari et de tempestate sedata.

Celi, maris, ac terre moderator dominus quemadmodum egregie excellentie martyrem Willelmum in celis precipue dignitatis laureatum prerogatiua, multimodis miraculorum signis in terra glorificauit, ita eundem ipsum et *in*<sup>151</sup> mari magnificare uoluit. Quibusdam namque de prouincia Norfulchensi pariter cum presbitero quodam *de*<sup>152</sup> Eilesham Radulfo nomine, marino ad ulteriores Anglie partes nauigio profectis suoque ibi peracto negotio nauis qua uenerant ad propria reuertentibus, sub medio cursu seuissima subito exorta est tempesta. Inualescente uentorum rabie laborans uelum scinditur, antenne pariter ac rudentes rumpuntur. |

**67vb**

Oceani uiolentiam fragilis cimba uix sustinet, uicta nautarum cedunt ministeria. Solis lumen nox atra intercipit, mors imminens exsanguis facit. Clamor uniuersalis extollitur, ad celum suspiria funduntur. Illud dulcifluum beati martiris Willelmi nomen centies ac milies replicatur, eiusque in angustia presens adesse petitur patrocinium. Oratione non uiribus iam nauigium ferebatur, et procellis seuientibus orationis causa

---

<sup>151</sup> contemporary marginal addition

<sup>152</sup> ccoe

sanctique Willelmi merita opponuntur. Vota illi fiunt, ut scilicet si eius conseruentur ope, pro tanti recompensatione beneficii ei ab eis tributaria quot annis solueretur recognitio. Propiciatur ad hec diuina pietas, adest et continuo aduocati martiris uirtus euidens, qui et si corporali presentia, uirtute tamen non deerat. Quieuit enim uentorum rabies, pelagi uiolentia sedatur, et tranquillitas serena subsequitur. Nautarum reuocantur animi, queque rupta fuerant reficiuntur. Venti contrarii in itineris conuertuntur ministeria, nauigium famulatrix prosequitur unda. Decursis breui immensis pelagi spaciis, omnes pariter 'litoris optati grata potiuntur arena.' Egressique incolumes ac leti, mox Norwicum |

**68ra**

ad beatum martirem Willelmum cum uotis et oblationibus festinant, cuius suffragiis in supremo mortis discrimine liberati fuerant.

[xviii.] *De duobus ferro constrictis ac liberatis.*

**S**ub eisdem ferme diebus Godwinus quidam cognomine Creme de Wimundeham pariter cum fratre suo Robertum quendam de Charletune quadecumque causa ceperant, atque sub arcta positum custodia, compedibus ferreis astrinxerant. Compedes quoque cathena tenebantur ferrea, posti firmissime obfirmata. Diebus quippe ac noctibus manibus post tergum ligatis miser ille tanquam posti affixus iacebat, binique ac bini nocturnis circa cum horis summa cum diligentia uigiles excubabant. Accusabatur siquidem multiplicis noxe quasi reus, sed, ut postmodum didicimus, super his immunis erat et innoxius. Cum igitur sub tam crudeli et immerita diebus aliquot

teneretur angaria, penali quoque famis ac sitis angustia defecisset, in mentem forte uenit beati Willelmi martiris postulare suffragia quibus a presentis angarie liberaretur pena. Igitur ea die tota et usque ad noctis medium in huiusmodi persistens precibus uniuersisque tunc in domo tam tedio |

**68rb**

quam sompno deuictis, et ipse quoque dormire cepit; dormitanti idem martir quem inuocauerat Willelmus in uisu astitit. Quo compedes ac cetera pertractante uincola, sera constricta dissoluitur, repagula ferrata dissiliunt. Porro pietatis diuine uirtus reserat quod crudelitatis humane malitia coartarat. Quibus uisis, immo et realiter gestis, is qui ea gerebat subinferre uidebatur: 'Surge, frater, surge uelociter. Ego quippe sum ille cuius opem postulasti, quem pre ceteris tibi patronum elegisti. Ecce iam liber es, abscedere<sup>153</sup> festina, tollensque quibus tenebaris compedes, *mih*<sup>154</sup> Norwicum afferre ne pigriteris.' Ad hec expergefactus ille secumque uisionem retractans, se reuera solutum sentit, unde et de fuga statim deliberauit. Vbi uero uniuersos dormire comperit, iam securior effectus surgit, compedes tollit, hostioque sine sonitu aperto, quamtotius exilit.

Versus Norwicum itinere arrepto, illuc sub ipso diluculo peruenit, apertisque episcopalis ecclesie ianuis, intrauit et ad beati Willelmi sepulcrum profugit. Tenens autem quibus tentus fuerat compedes, in conspectu plurimorum liberatori suo eas in liberationis sue obtulit signum. Interrogatus uero, totius rei

---

<sup>153</sup> cc above the line

<sup>154</sup> ccoe

geste seriem |

**68va**

querentibus explicuit, et cum securitas oblata est, securus abscessit.

*De altero.*

[A]liquanto<sup>155</sup> postmodum interiecto temporis interuallo, quidam Hugo quem dominus suus Simon scilicet de Nodariis compedibus astrinxerat multimodaque attrectauerat pena, beati Willelmi meritis consimili liberatus est modo. Solutus autem Norwicum uenit, ferreosque ferens quibus innexus fuerat nexus, liberatoris sui sepulchro apposuit, ibique in facti signum et memoriam dimisit.

*[xix.] De niso Alberti Gressle mire curato.*

[I]nter tot et tam egregias miraculorum uirtutes, uirtus nonnumquam diuina in rebus etiam minimis preminere solet permaxima. Erat nempe Roberto Gresle illustri siquidem uiro filius Albertus, qui puer nisum habebat, quem nimis affectuose semper dilexerat. Quadam autem die auem illam contigit ad mortem infirmari, de cuius infortunio puer adeo condoluit ac si de suo. Cumque iam auis rem gerere uideretur suppremam, puer ad beati pueri et martiris Willelmi se contulit suffragia, orans, ut ipso propitiante niso morienti salus restitueretur et uita. Votum quoque uouit, |

68vb

quod sibi dilectam auem si restitueret ad eum singulis annis cum oblationis recognitione ueniret. Pater inter hec ceterique qui aderant milites puero tanquam

---

<sup>155</sup> noted in margin for rubricator

puerilia deposcenti illudebant, tum qui proculdubio auem statim morituram nouerant, tum quoniam pro huiusmodi ludicris sanctos uel exorare uel illis uota uouere ridiculum fore estimabant.

Factum est autem. Orante cum lacrimis ac gemitibus puero, contra uniuersorum opinionem respirauit auis, breuique post interuallo sospes apparuit et incolumis. Quo uiso, admirati nimium uniuersi, dominum in sanctis suis reuera mirificum glorificant, sanctumque dei martirem Willelmum rebus etiam minimis compati et curam exhibere admirantur et laudant. Porro puerum postea cum patre Norwicum uoti soluendi gratia uenire uidimus, ipsorumque relatu rem ipsam prout gesta fuerat cognouimus. Que nos audientes, gloriosum et tam pium dei martirem, immo et in martire dominum qui cunctos coronat martires, glorificando benediximus et benedicentes glorificamus, qui uniuersorum conditor ac moderator licet magnus sit in magnis, mirabilia tamen quandoque operari non dedignatur in minimis.

Explicit liber sextus.      Incipiunt capitula |

**69ra**

libri septimi.

[i.] [D]e Reimberto dapifero abbatis de Bello et eius molendinario ab egritudine sua curatis.

[ii.] **D**e iuvene paralitico curato.

[iii.] [D]e clerico furibundo sanitati reddito.

[iv.] [D]e muliere languida a languore diuturno curata.

[v.] **D**e puerulo ad solum patris uotum curato.



[vi.] [D]e muliere mire bis cancri curata incommodo.

[vii.] **De** mirabili in cera particulata inditio.

[viii.] [D]e conflua multitudine languentium curatorum.

[ix.] **De** puero a natiuitate ceco, surdo, muto, ac toto corpore imbecilli, articulo temporis curato.

[x.] [D]e Roberti contracti cura.

[xi.] **De** altero toto corpore imbecilli<sup>156</sup> sanato.

[xii.] [I]tem de muliere contracta atque erecta.

[xiii.]<sup>157</sup> De quodam maledico per uisum mire castigato.

**Incipit prologus in librum septimum.**

[A]liquanta temporis intercurrente mora cum, beatissimi martiris uirtutem a miraculorum signis iam cessasse existimans, arma scriptoria deposuissem multoque scribendi labore defatigatus quietis optate modicum degustarem, forte laboris iterati laberintum incurri. Subito etenim, inopinantibus nobis, anno ab incarnatione domini millesimo centesimo quinquaginta quinto quasi renouata uirtus sancti martiris ampliori quam prius signorum effulsit frequentia. Vnde resumens calamum, opus |

**69rb**

libens aggredior intermissum. Verum quia hinc tanta miraculorum concurrat multiplicitas, inde familiarium negotiorum urget necessitas, in meditullio expositus necesse habeo ea sic exequi, ut ista non negligam, et ita me undique expediam, ut neque

---

<sup>156</sup> cc from “imbecillo”

<sup>157</sup> The capitula stop at xiii, but this chapter lists nineteen episodes. I have followed Jessopp and James and inserted numbers when they appear.

uel hec infecta uel illa pretermittam illibata. Que autem beatissimi martiris siue nos uidere siue a credilibus uiris audire contigit miracula, ex consulto ita sub breuitate transcurrere curauimus, ut et ea scire uolens cognosceret, et multiplicitas concurrens non fastidiret. Si quid uero interdum effusius explanari contigerit, quia scilicet paucis explicari non possit, moderationis tamen non excedemus regulam, ne promissi defraudati incurrisse uideamur culpam.

**Explicit prologus. Incipit liber septimus.**

**[i.] De Reimberto dapifero abbatis de Bello.**

**Erat** igitur in prouintia Hastingsensi miles quidam Reimbertus nomine, dapifer abbatis sancti Martini de Bello. Hic quandoque permaxime ualitudinis incurrens incommodum, perurgente molestia loquelam pariter perdidit et uisum.

Vbi uero perseuerante incommodo nullo leuigaretur medi |

**69va**

camine, sed in dies doloris ac morbi succresceret uehementia, monitis suorum diuine miserationis se contulit asylo. Cum etenim amicis sibi ass[ist]entibus sub tanto periclitaretur discrimine, recordatione imaginaria beatissimum martirem Willelmum, cuius sepulcrum Norwici quandoque uiderat, ante mentis oculos ponens cordis lingua qua potuit eius sibi opem inuocauit. Nec mora, pia mentis contritio celos pulsans, diuine pietatis remedium promeruit, atque sub ipso temporis articulo, salutem amissam recuperauit. Idem ipse paucis postmodum diebus molendinarium suum ad mortem usque egrotantem uisitans et qualiter beati Willelmi curatus fuerit suffragiis enarrans, exemplo suo ad sospitatis spem egrotantis inuitauit fidem. Fidelibus ille monitis

permonitus, mox ut coram deo beato martiri orationem effudit et uotum, festinum suscepit sanitatis remedium. Hec eiusdem Reimberti relatu cognouimus, dum Norwicum postea ad beatum martirem exorandum ueniret, ac pro se suoque molendinario duplices referret gratias.

[ii.] *De paralitico curato.*

Alio quoque tempore iuuenis quidam Schet nomine |

**69vb**

in uilla que Hadescho dicitur de patre Eilmero natus, sed apud Gernemutam piscatorii gratia questus aliquamdiu commorans, paralitico per multos dies laborabat incommodo. Qui denique dum Norwicum ad beati Willelmi martiris sepulcrum fuisset adductus, ipsa die qua uenerat, ibi meritis sacri martiris soluto lingue uinculo sermo ei redditur, membris inualidis salus restituitur, sanusque effectus, domum se incolumem regredi letatur.

[iii.] *De clerico furibundo sanato.*

**U**idimus et quendam Robertum clericum, Willelmi filium de Crachesfort, cerebri turbati laborantem insania, plurimorum manibus ad beati martiris sepulcrum adduci. Dumque ibidem cum suis nocturnam satis placide exegisset uigiliam, sub aurora sompno pressus dormire cepit, et circa horam terciam expergefactus, tam capitis insaniam quam membrorum dolorem sedatum persensit. Gratulantibus ergo suis atque pro salute illius sancto martiri gratias agentibus, super tanto et tam subito miraculo plebs assistens exultat, quoniam sanum regredi conspicit, qui insanus aduenerat.

[iv.] *De muliere languida curata a diuturno languore.*

Eisdem diebus quedam Leua, soror Rogeri |

70ra

[de] Scales, toto corpore male habens, et dolore membrorum diuturno laborans ad sepulcrum beati martiris uenit ibique salutem integram recuperauit.

[v.] De puero ad patris uotum curato.

Quidam quoque Willelmus de Tornedis uilla episcopali paruulum filium languore languentem<sup>158</sup> diuturno et iam morti proximum habuit, pro cuius salute sancto martiri Willelmo uotum faciens, eiusdem mox suffragiis filio remedium optinuit sanitatis.

[vi.] De muliere bis a cancri incommodo curata.

In eadem quoque uilla episcopali mulier erat, cuius a memoria nomen excidit, que grauiter in mamilla paciebatur. Ex ea quippe plurima profluebat sanies, eiusque iam papillam quod cancrum nominant consumpserat incommodum. Cumque huiusmodi diutius laboraret ualitudine, neque ulla illi subueniretur ope medicorum, de humana iam diffidens, ad diuinam denique se contulit medicinam. Arrepta itaque cera et ad ignem mollificata, in nomine sancti martiris Willelmi mamillam male habentem circumdedit, eamque aliquamdiu sic dimittens, memorato martiri orationem cum lacrimis et uota effudit. Mira res! Confestim |

70ra

nempe mitigato dolore, et serpentis morbi prurigo exaruit, et saniei fluor cessauit. Cumque memoratam ceram prout uouerat sancto Willelmo Norwicum presentare de

---

<sup>158</sup> cc above the line

die in diem differret, iterum mamillam renouatus morbus inuasit, eamque grauiori quam antea dolore afflixit. Ex quo conicimus beatum martirem uotifragii reatum iterata uoluisse piari pena, et negligentem ad soluendum uotum mulierem iterati doloris reuocari molestia. Mulier itaque, recognita infidelitatis sue culpa, ceram resumpsit, mamillam circumdedit, et in breui sanitatem amissam recuperauit. Porro in posterum de cetero sibi precauens Norwicum properauit, ceramque ad sancti martiris sepulcrum offerens, uotum persoluit domumque gratulabunda regressa est.

[vii.] *De miro in cera inditio.*

Altera mulier de Belahhe die quadam ceram quam habuit deuotionis instinctu particulatim diuisit. Partium uero maiorem sancte Trinitati et de minoribus duabus, sancto Willelmo alteram, et alteram sancte Fidis se uouit oblatoram. Interim autem, dum temporis illuc eundi succederet oportunitas, tres

illas archa cere reposuit particulas. Cum ergo sancte Fidis |

**70va**

adueniret festum, quoniam ipsas tunc ipsa locis prefatis offerre proposuerat, de minoribus una, quam sancte Fidis credebat, ut inde candelam efficeret assumpta, mox ut illam cultello incidere incepit, quasi sanguineis scaturientibus guttis cruentata aparuit.<sup>159</sup> Obstupescens nimirum portento, ea deposita, alteram assumpsit, atque ex illa sancte Fidis candelam pro libito effecit. Similiter in continenti et altera in nomine sancte Trinitatis effecta, audacie ductu in nomine sancti Willelmi presumpsit et de tercia. Sub cuius intentionis proposito, cum cere prius cruentate cultellum liberius imprimeret, nec

---

<sup>159</sup> cc above the line

minima quidem sanguinei ruboris apparuere uestigia. Quo admirata miraculo uniuersis quos nouerat sancti martiris Willelmi magnalia predicabat. Nos quoque, cum hoc ipsum uicinia referente cognouimus, ex ipsius rei euentu quasi augurati sumus, quod alteri offerri sanctus martir noluerit quod sibi uotaliter promissum fuit. Ita itaque uirtus beati martiris maxima preminebat etiam in minimis.

[viii.] De multitudine languentium curato.

**M**ultis preterea beatissimi martiris Willelmi |

**70vb**

meritis diuina sepe subuenit [mi]sericordia. Ad sepulcrum nempe illius uenire consuerunt febricitantes ibique liberati sunt. Venerunt et nonnulli diuturno uiscerum ac membrorum dolore languentes, sanique ad propria redierunt et incolumes. Vidimus et sepissime illuc uenire claudos, cecos, surdos, ac mutos, aliosque multos multiplici laborantes incommodo, ex quibus plurimos sanitati restitutos cognouimus. Presertim innumeros, tum longinquis positos regionibus, tum locis proximis commanentes, uariis uexatos languoribus, quorum siue familiaris necessitas, siue alia grandis causa prepediebat aduentum, licet absentes meritis sancti martiris Willelmi sospitati plene redditos, et quam plures audiuius, et nonnullos quandoque uidimus.

[ix.] De puero a natiuitate ceco, surdo, muto, toto corpore inbecilli, curato.

**A**nno autem ab incarnatione dominica millesimo centesimo quinquaginta sexto in septimana pentecostes circa sepulcrum gloriosi martiris sui multo crebrius solito

diuina uirtus innotuit. Ibi etenim uarii *sexus*<sup>160</sup> plurimos uariis languoribus detentos optinere tunc contigit remedia sani |

### 71ra

tatis. Porro quosdam uitande prolixitatis gratia preterire, et nonnullos, de quibus scilicet certiores sumus, presenti pagine decreuimus interserere. Igitur mulier quedam de Reppes ad illud medicabile gloriosi martiris sepulcrum filium a natiuitate cecum, surdum, mutum, et toto corpore imbecillem, ac membrorum impotem attulit, atque ipsa die qua uenerat, eundem sanum omnibusque membris incolumem domum gratulabunda reportauit.

#### [x.] De Roberti contracti cura.

Eadem septimana sancti martiris ante sepulcrum nocte sancte Trinitatis dum monachorum conuentus nocturnis inuigilaret uigiliis, puer quidam ab etate primeua contractus, diuina meritis sancti martiris cooperante gratia apparuit erectus. Hic autem Norwici multis annis commoratus, genibus innixus et manualibus gradiens scabellis, per urbem apud plurimos mendicauerat. Arefactis siquidem neruis, contracto poplite, ac desiccatis tibiis, usus illi negabatur gradiendi. Cui, uelut prelibauimus, uirtus pia martiris remedium contulit sanitatis.

#### [xi.] De altero inbecilli sanato.

Uenerat et per idem tempus quidam Thomas |

### 71rb

---

<sup>160</sup> cooe following instruction written in margin

Eboracensis debilis quidem uiribus et toto imbecillis corpore, duobus quos uulgo potentias uocant baculis gressus utcumque dirigens, et imbecilles artus sustentans. Qui ut ad sanctum Willelmum martirem sanitatis percipiende gratia ueniret, ab Eboraco prout poterat digrediens, et gradiendo modicum proficiens, longinque peregrinationis itinere multos consumpsit dies. Euntem fides<sup>161</sup> sustentabat debilem, spes trahebat inbecillem. His tandem ducibus Norwicum ad sancti martiris sepulchrum uenit, et optate salutis remedium optinuit, ibique in signum sua podia dimisit.

[xii.] *De muliere contracta erecta.*

Vidimus quoque et mulierem pauperulam contractam de Lindeseiensi prouintia oriundam. Ea diebus multis Norwici in domo Chole fabri perhendinauerat, neque quisquam illam nisi contractam se uidisse testabatur. Huic quoque ad beati martiris uenienti sepulchrum, idem martir sanitatis plene contulit remedium.

[xiii.] *De quodam maledico per uisum mire correpto.*

Sed neque id silentio supprimendum censeo, quod tum simplices ac beniuolos instruat ad deuotionis<sup>162</sup> ampliationem, tum maledicos premoneat ad prouisionis cautelam, ut et illi |

**71va**

in beniuolentie pietatem excrescant, atque isti a deprauandi consuetudine resipiscant. Erat siquidem quidam Galterus, Willelmi decani nostri Norwicensis quandoque famulus, qui fatue uoluntatis instinctu semper in quantum poterat beati

---

<sup>161</sup> ccoe

<sup>162</sup> ccoe



Willelmi martiris sanctitati atque miraculis derogabat. Cumque a domino quem dixi suo sepiissime commonitus, ut a blasphemie sue proposito uel nonnumquam desisteret, nunquam monentis consilio adquiescere uoluisset, nocte quadam idem martir Willelmus ei dormienti specie terribili apparuit, eumque interrogauit dicens: 'Cognoscis me frater?' Cumque ille cognoscere se dixisset, subiunxit: 'Et si me cognoscis, cur mihi tantis derogas blasphemiiis? Surge iam et sequere me.' Confestim ille, uelut sibi per uisum uidebatur, exurgens, eum usque in siluam consequebatur preuium. Cum uero ad locum quo primum sepultus fuerat peruenisset, stans super spelunce sue marginem ait alli: 'Scisne cuius hec spelunca fuerit?' Cumque ille illius fuisse dixisset, terribiliter ei comminando subdidit: 'Ingredere igitur quamtotius, qui semper in me fuisti blasphemus.' Conterritus ille et iubentis uerbo nequaquam |

### **71vb**

contraire ausus, ut sibi uidebatur, speluncam ingressus est. Quo ingresso, eum continuo sanctus inuasit, fustigauit ac denique omnibus membris contritum dimisit. Terrore itaque excitatus dormiens Galterus, membris omnibus uehementissimam doloris sensit grauedinem, ac si quam per uisum uiderat, uigilans tolerasset fustigationem. Hacque castigatus pena eum exinde cepit precordialiter uenerari ac deligere, cui primitus solebat despicabiliter derogare.

Subscripsimus ecce quasi generale uniuersis commonitorium, uti hoc scilicet instruente exemplo sibi quisque precaueat, ne diuinis beneficiis ingratus deprauator

existat. Temerarium *enim*<sup>163</sup> ualde est in sanctos dei uerbis maledicis tam audacter inuehi, quos ab ipso domino tot ac tantis miraculis tam patenter constat glorificari.

[xiv.]

Erat Norwici puella octennis Agnes nomine cuius pater Bondo, cognomento Hoc, et mater Gunnilda dicebatur. Hec ab ipso natiuitatis exordio podagre ciragreque graui laborabat incommodo. Non se propriis ualebat uiribus eleuare, neque absque adiuuantis adminiculo a latere in latus quandoque

conuertere. Neruis quoque |

**72ra**

in ceruicem contractis, ad augmentum incommodi, humero sinistro sinistra mala tam inseparabiliter adherebat, ut alteri alterum incastrari cerneret atque in nullas omnino partes inflexo humero ceruix flecti preualebat. Multiplex igitur incommodum, pedibus podagricis incessus, manibus contractis attactus, capitique humero coherenti consuetudinarius uidendi, erigendi, conuertendi et comedendi negabatur usus. Quotiens enim manducandi perurgebat necessitas, cibo super terram uel asserem comminuto, humi procumbens, et ad instar pecudis oppetens, id solum poterat manducare quod lingua uel dentibus contingebat attingere. Toto igitur impos et imbecillis corpore alienis uertebatur, erigebatur, et circumferebatur manibus. Hec siquidem talis matutinali secunde dominice quadragesimalis hora maternis ulnis ad sancti martiris Willelmi aduecta sepulcrum, coram uniuersa que die illa ad ecclesiam festiuus conuenerat plebe, suffragantibus sancti meritis confestim remedium optinuit

---

<sup>163</sup> cc above the line

sanitatis. Ex his quippe perpendendum est, quanta quam pia sit sanctorum uirtus, que toto corpore imbecilles sub ipso eorundem aduentu remittit incolumes.

**72rb**

[xv.]

**I**tidem sub eodem tempore quedam Hathewis filia Edwini presbiteri de Taureham, cuius auia auie sancti Willelmi soror fuerat, contracta et corpore imbecillis erat. Hec consanguinitatis ut magis credimus instinctu, ad sepulcrum sancti martiris quasi ad cognationis aduenit asylum, et temporis articulo speratum salutis percepit remedium.

[xvi.]

**H**is diebus quedam Huelina de Rochesburch, cui ex nature uitio pedum talinatis adhererant, ad sepulcrum sancti martiris a patre in uehiculo rotatili aduehitur, quod ciueriam appellant. Ipsa quoque die puer quidam Baldewinus nomine a prouincia Lincolniensi Norwicum a patre itidem in ciueria aduehitur rotatili, cui arefactis a genibus infra pedum et tiliarum neruis, usus negabatur gradiendi. Quandoque tamen sed cum necessitas ingruebat, genibus innixus scabellis ibat manualibus. Hi siquidem ambo ad sepulcrum sancti martiris simul aduecti, eiusdem suffragantibus meritis saluti plene simul sunt restituti.

**N**eque multis post interiectis diebus puer quidam Herbertus nomine filius cuiusdam Berengarii Norwicensis a primeuo cecus et mutus tempore, ad

se |

**72va**

pulcrum beati martiris a parentibus adducitur, eademque aduentus sui die cum eisdem uidens et loquens regreditur. Quidam quoque Radulfus filius Ricardi de Hadestune membris omnibus imbecillis Norwicum a suis aduectus, sancti Willelmi curatus est meritis.

[xvii.]

**D**um hec et alia huiusmodi ad gloriosi martiris laudem et gloriam Norwici contingerent magnalia, in mari quoque uirtus eiusdem insignis patuit et gloriosa. Maris<sup>164</sup> etenim seuientibus nimium procellis, quedam longe a continenti periclitabatur nauis. Immanes siquidem fluctuum globi tum in ima depressi quendam horridum faciebant hiatum, tum se in altum preter morem extollentes subitum fragili carine minabantur precipitium.<sup>165</sup> Vnde nunc quasi in celum efferebatur nauis, nunc ruine patebat horribili. Porro ingruente magis ac magis uentorum rabie, imbrium inundantia, turbatur celum, turbantur maria, et interitum minantur uniuersa. Rudentes et antenne rumpuntur, uelum scissum dissoluitur. Malus egre se continet, mortem solam superstitem nauis titubans persuadet. Desperatus itaque nauta quid faciat prorsus ignorat. |

**72vb**

Potiori tamen usus consilio, derelictum nauis applustre arripiens, proram ad continentem conuertit, cursum destinatum pretermisit, ac persuadentibus sociis et maxime presbitero quodam Thetfordensi qui cum eis de Norweia aduenerat, beati

---

<sup>164</sup> cc above the line

<sup>165</sup> source?

martiris Willelmi opem inuocauit. Se quippe omnes et sua omnia pariter cum nauis eius committunt patrociniiis et sic directo cursu ad proximum tenditur litus. Quid plura? Inuocata sancti martiris ope, continuo uentorum cepit conquiescere rabies. In serenum aer et pelagus in planitiem paulatim redigitur. Currens uero propero cursu nauis, estu secedente marino, non longe a continenti prominentem arenarum incurrit molem, et absorbenti insidit sabulo. Fere nusquam tuta securitas. In maris perturbati profunditate periculum euaserat, in uadosa planitie incurrebat. Quo uiso, turbati conclamant naute, itque nauis tunc maxime diffidentes, immo et quassatam estimantes, quam intus habebant scapham exponunt, et solis saltem saluandis consulunt corporibus. Corporum igitur saluti consulentes, sua omnia et nauem cum uelo erecto deserunt, sancti martiris |

### 73ra

Willelmi tuitioni uniuersa committunt, eique omnium que intus habebant si conseruentur, decimam uouentes repromittunt. Ventis, inquam, et mari nauis eminus exponitur, et appulsa littori cum nautis nauicula conseruatur. Sero erat, et incumbentibus iam tenebris nox imminebat. Mira res et pene incredibilis! Nauis siquidem tota nocte fluctibus exposita pro marini estus uicissitudine nunc sabulo imprimitur, nunc in altum tollitur, sed diuine uirtutis anchora quasi littori affixa tenetur. Illuscescente diluculo, ad reuisendam nauem concurritur, et non submersam admirantur. Ingressi ergo nauiculam, tranquilli maris famulante unda, ad nauem nauigio properant, quam saluam reperientes et integram, obstupescentes exultant. Nec mora, quisque pro uiribus unanimiter communi feruent negotio. Velo nempe

quamtotius reparato reffectisque funibus ad uelificandum accinguntur. Estu quoque fauente et aura, portui qui Charlefluot dicitur cursu prospero inuehuntur. Appulsi uero, deo sanctoque Willelmo conseruatori suo gratias agunt, et, ut uouerant, que in nauibus habebant |

### 73rb

uniuersa decimarunt. Decimarum collectam precium per manus memorati Thetfordensis presbiteri et quorundam consodalium Norwicum sancto martiri transmittunt, et se illius commendant patrociniis.

Quidam itidem Humfredus Norwicensis, periclitante et submersa in hostio de Scardeburc nauibus cui inerat, sub mortis discrimine sancti Willelmi martiris opem inuocauit, et sicut ex omnibus *in*<sup>166</sup> inuocationem martiris solus extitit, solus ex omnibus diuina uirtute sed modo mirabili saluatur, et mirabilius extra spem omnium incolumis litori aduehitur.

[xviii.]

**S**olet nonnumquam et auidis lectoribus inferre fastidium multiplicitas congesta miraculorum. Miraculorum frequenter succrescebat numerus, quoniam in glorioso martire suo diuina non deficiebat uirtus. Audire igitur non tedeat, quod Christus fidelibus suis prestat. Vnde producat in medium ac presenti inseratur pagine illud eximie nobilitatis miraculum quod anno ab incarnatione domini millesimo centesimo sexaginta octo in capella sancti Willelmi de silua in oculis multorum consistentium uideri contigit. Dedicauerat quippe illam Willelmus

---

<sup>166</sup> cc above the line

Norwicensis episcopus in |

**73va**

octabis pasche quinto kalendas Maii. Intercurrente autem modico dierum post dedicationem interuallo, uenerunt Norwicum quidam ex Cantebrugie prouincia ad sanctum Willelmum. Qui dum Norwici sancta circuissent loca, uenerunt tandem ad memoratam et nouiter dedicatam sancti Willelmi in silua capellam. Dumque more peregrinantium ad altare accederent, et oblationes offerrent, mirum dictu, immo et mirabilius uisu, mulier quedam de consortio eorum cum eisdem gradus conscendere uolens, inuisibili quadam uirtute repulsa est. Itidem animosius accessit, set fortius repulsa retro cessit. Nescia uero quod diuinitus repelleretur, tercio et quarto gradibus accessit, ascensum attemptauit, sed se multo uehementius repelli persensit. Et quo amplius eam in oculis assistentium repulse puidit, eo acrius atque frequentius conatus suos reiterare<sup>167</sup> affectauit.

Quid multa? Laborabat mulier diuine uirtutis ignara et reiterande presumptionis cupida. Denique se incassum laborare persentiens, preuaricatrix ad cor rediit et flagitiorum suorum conscia, in lacrimose querele prorupit eiulatus dicens: 'Oh me miseram |

**73vb**

et miserabilem! Oh perditam et infel[i]cem! Peccatrix impura tantorumque flagitiorum conscia, tot annis insolescens, inpenitens et inconfitens, deum non timeo, homines non reuereor. Qua ergo frontis irreuerentia, qua mentis audatia incesto pede

---

<sup>167</sup> ccoe

et sacrilega mente sacra contingere presumpsi loca? Et reuera digne pro meritis mihi contigit. Sortilega, impudica et immunda, sacrati munditiam loci ingressu indebito pollui, et culparum oblita, culparum uindicem irritaui. Indignam spurcitie mee oblationem mentis et corporis sacrilegio perquisitam, non indigne sanctus Willelmus renuit, uirtus diuina repellit, utpote quam accessus indignam adiudicauit. Heu me miseram, heu infelicem! Quid igitur agam, infelix et misera – quo diuertam, diuinitus repudiata?’ Hec profusis interserebat lacrimis, hec complosis uociferabat palmis. Peplo denique capitis auulso nunc crines digitis decerpens, nunc faciem, nunc pectus pugnis tundens, et nonnumquam pedibus terram proterens, mirabili et miserabili se agebat modo.

Sic aliquandiu se habuit, unde et oculos assistentium in se conuertit. Accessit igitur ad illam quidam qui altaris astabat custodie, ab ea sciscitans cur se |

#### **74ra**

sic haberet, uel cur cum sodalibus altari non accessisset. Atque hoc dicto, ei candelam tradidit, ut cum lumine ueniens accedendi gratiam optineret. Cui illa: ‘Domine, peccatrix ego peccatis onusta. Accedere quidem uolui nec potui, et quotiens accessum attemptaui, totiens repulsam pertuli. Repellit me quidam elegantis forme iuuenis qui quotiens gradibus accedo, totiens occurrit, totiens retrudit. Hic soli misere mihi terribilis, aliisque ut mihi uidetur apparet mitis.’

Hic dictis, siluit, ac resedit. Demum, utpote dolore multo ac labore fatigata, modicum quieuit et paulisper dormiuit. Postmodum expergefata, denuo surrexit. Accensa quam diximus candela, ascensure instar gradibus accessit, atque itidem is qui



prius eam eminus reppulit. Vnde nimirum rubore confusa tum dolore permota, prorupit in lacrimas, lacrimisque et singultibus cordis innotuit anxietas. Anxia circumspicit, circumspiciens ait: 'Veniat, queso, siquis hic assit sacerdos, cui scelera scelerata reuelem, cui crimina criminosa commemorem. Veniat, obsecro, cui uite enormitatem confitear, |

#### 74rb

qui penitentis confessionem suscipiat, suscipiens absoluat, absoluens flagitiis penam assignet. Credo utique nec dubito quod, ubi confessa fuero et a presbitero absoluta, et sacri martiris consequar<sup>168</sup> suffragium et sacrati altaris promerebor accessum.' Venit itaque quidam ueteranus sacerdos, seorsum abduxit, confitenti penitentiam indixit, et iam de cetero confidere amonuit. Quid plura? Iam securior e marsupio stipem protulit, candelam reaccendit, gradibus appropians profusis orauit lacrimis. Lacrimas ministrabat deuote compunctio mentis. Ex compunctionis<sup>169</sup> fonte profusus lacrimarum ille riuus aera penetrans celis influit, et ad uotum gemitus peruenit. Oratione finita, pede timido ascensum attemptauit, et quem ex aduerso sibi occurrentem uidere consueuerat non uidens, iam securior gradibus pedem confidentius infixit. Iamque repulsam non sentiens neque repellentem se uidens, confidenti pede et mente alacri ascendit, atque altari sue munus oblationis imposuit. Itaque in huius admiratione miraculi dum rei geste qualitatem considero,

gloriosam illam beate Marie Egyptiace penitentiam memori mente |

---

<sup>168</sup> ccoe

<sup>169</sup> ccoe

**74va**

reuoluo. Illa eximie indolis generosa peccatrix, apud Jerusalem loca sacra sacrilego temerare ingressu presumpsit. Hec forme anilis flagitiosa prestigiatrix apud Norwicum in silua nouiter sacratam sancti Willelmi capellam pede impudico subintrauit. Illam gloriose dei genitricis uirtus inuisibilis uisibiliter ab oratorii ingressu cohercuit, istam gloriosi martiris Willelmi uirtus manifesta manifeste ab altaris sui accessu retrusit. Vtrobique pudoris et doloris se ingessit confusio confusionem subsecuta est compunctio, compunctioni successit penitentia. Penitentia uero profusis lacrimis multi lauit maculas criminis. Sic itaque penitentium beneficio lacrimarum illa oratorii ingressum, et ista sacri altaris promeruit accessum. Patet ergo quante reuerentie sit locus hic qui a tante auctoritatis et religionis episcopo consecratus, primaque sancti martiris Willelmi tumulatione fuerit insignitus. Ibi quippe multa et multimoda uirtutum miracula uirtus frequenter operatur diuina. Nempe in argumentum sanctitatis loci est tum Galteri famuli olim Willelmi de Hastings, in sompnis flagellati correctio, Bo |

**74vb**

tilde uxoris olim Girardi Coci curatio tum prestigiatrix muliercule quam prelibauimus repulsio. Maxime autem loci commendat sanctitatem egregium illud, pre miraculis ut ita dicam miraculum, quod in Wigornensi olim prouincia contigit, scriptoque traditum quidam Persorensis monachus Christianus nomine, uir equidem religione pollens et literatura, nobis Norwicensibus transmisit in his uerbis:

[S]ancto<sup>170</sup> et deo strenue militanti conuentui Norwicensi, frater Christianus, fratrum Persorensium minimus, uita peccator, habitu et nomine solo monachus. Vite presentis quietem et future beatitudinem.

‘Quanta uos felicitate pre cunctis totius regionis, immo orbis uniuersi, in nostra dico tempestate clarificauerit deus, quanto et quam admirabili corroborauerit pignore, nobis etiam longo a uobis interuallo distantibus diuina reuelare dignata est misericordia. Est enim in partibus nostis uir, nomine notus, fama insignis, genere preclarus, prole beatus, Adam de Cromba nuncupatus. Quem et si in multis affines gratiosum, precipue utriusque sexus propagine predicant felicem. Sunt enim huic liberi monachi religiosi, milites strenui, iuuenes elegantissimi, puelle |

#### 75ra

immo potius adhuc uirgines, specie et pudicitia prouincialibus incomparabiles. Quarum uultibus sanguis regius, moribus patris pia seueritas et matris pudica facile innotescit disciplina. Harum que minor est natu Agnes nomine diuturna excocta est infirmitate, longo temporis spacio clunica usque ad uite desperationem languore misero extenuata est. Misero, inquam, cum sepius in die uehementi coacta angustia, brachia iactans, lumina circumducens, prorsus exanguis tortuose uolueretur. Assistentes preter spiritus exalationem nichil conitiebant. Huic cum aliquando sorores pietate mote, uiso dolore affecte, cum capellano et familia ut finem uiderent assisterent, tunc brachiis remissis corpore composita, oculis leniter clausis, dolore etiam sopito ac si aliquem ueneratione dignum conueniret, et eidem mutuo cum omni diligentia responderet, orsa

---

<sup>170</sup> as noted in margin for rubricator

est, preter quam cum nominem uel uidere uel audire mererentur, in sompniis agitatum crederent ubi quia uultus et uerborum grauitas erat non minima'. 'Quam cum ita diu sustinuissent, tandem illi quibus maior inerat prudentia, quid uideret, quem conueniret, cui tantam exhibens re |

### 75rb

uerentiam, responderet, ne occultaret, obnixè inquirere aggressi sunt. Quibus illa: "iuuenem uideo pulcherrimum cruentum, crucem gestantem." Cumque admonerent ut sequeretur: "Sequor," inquit, "et instanter sequar, et sedulo obsequar. Sed nemo ingreditur! Nunc parte nemoris transita capellam in eodem sitam nunc intrat ligneam. Nunc ut missam celebret, uestibus se induit sacerdotalibus. Sed ue mihi misere sexui meo timenti, cum non sit qui suffragetur, ministrare non presumo. Sed ecce ingreditur dignior me et sanctior, et ad sacrosanctam magis idoneus, Robertus ut audio nuncupatus."

'Post hec intentissime auscultando paulisper obticuit, et spiritu ab imo resumpto, uoce submissa sed ad prime supplicii, "Misereatur uestri" etc. et "Confiteor deo", et que sequuntur, respondit, que ante missarum inchoationem supplicando dicere usum habet ecclesia. Anglice, igitur que euangelium precedere solent perfectis cum ipsum legeretur, se miseram clamitans et infelicem, cum quid offerret non haberet. Cuius deuotionem ipse sanctus presentiens, per prefatum Robertum nummum sibi misit aureum. Quem sicut a uide dono donantis letissima suscepit, ita deuotissime ut uel osculando manum aliquid de eo sic tangere liceret, |

### 75va

obtulit. Sacramentum etiam corporis et sanguinis domini nostri Ihesu Christi, orthodoxorum omnium salutem, de illis sanctissimis manibus post pacem sibi datam accepit. 'Ordine igitur ecclesiastico que tanto congruunt sacramento peractis, ut tempus est adepta et locum, timide cum reuerentia sanctum dei affata est: "Domine mi omni ueneratione dignissime, sancte beate, deo care, quem te ad infirmitatis mee auxilium, ad destitutionis mee *solatium*,<sup>171</sup> ad miserie mee suffragium, ad dolorum et angustiarum mearum refrigerium inuocabo?" Tum ille, ut supernorum credimus esse consciuum diuinam spirans dulcedinem, condolens infirmitati, uirginali compatiens anxietati, hilaris cum grauitate, benignissimo respiciens intuitu, dulcissimo respondit sermone, se illum, quem sanctum dicunt esse, Willelmum. Et illa pedibus sancti prouoluta: "Sancte", clamat, "Willelme, miserere mei omnium miserrime. Sancte Willelme, medere meis angustiarum angustiis. Sancte Willelme, uide infirmitates meas, et celeri pietate succurre."

"Sanaberis," inquit, "sed modum sanitatis tue diligenter attende.

Elementum quo maxima fiunt sacramenta, aquam dico |

### **75vb**

benedictam, accipies, pedes crucifixi in [nomine] dei patris omnipotentis et filii patri consubstantialis et spiritus sancti patri et filio coeterni, lauabis. In qua micras panis diminues, et inde fide bona uescens dilatione semota sanitatem consequeris. Quod non tue huic soli infirmitati medicamen erit, sed omnibus quocumque languore egrotantibus, si ut diximus fide bona deum inuocantes usi fuerint, refrigerium. Et ut hinc uerum

---

<sup>171</sup> ccoc

specimen comperias, febricitanti que in noua ecclesia Crombe torquetur inde impercies, et repente curabitur. Medicine quibus huc usque usa es, quedam nocuerunt, profuit nulla. In uirginitate humilis perman eas, cibus etiam quibusdam, in omnibus modum tenens, non indulgeas. Mundum, id est que mundi sunt, fugias. Deo et que dei sunt, adhereas. Sed ne ignara locorum uia exorbites, uel per deuia sola uageris, hunc tibi Robertum ducem trado et custodem.”

‘His auditis, benedictione accepta, corripuere uiam, festinatione compendiosa nulla tamen parte tanti itineris pretermissa, deuenere Crombam. Ibique ut in tuto posita ualedicto a duce suo dimissa est. Et uere nulla itineris

parte pretermissa, cum adhuc itinera dierum, locorum nomina, species et qua |

**76ra**

litates eorundem, a duce suo docta, manifestissime narret. Et que nunquam a domo patris sui plus septem miliaris egressa est, ab his qui sepius pedibus et equis iter illud mensi sunt nec in uerbo redargui potest’.

‘Ad se reuersa, iussa sibi festinare rogat, parant, offeruntque parata, comedit, bibit, et conualuit. Febricitanti prememorato impertire monet. Cumque illi nullum ibi febricitantem assererent, illa econtra illum etiam cum per ante ecclesiam redeundo transisset uidisse, re ipsa probauit. Qui ut gustauit pristinae restitutus est sanitati. Rogemus igitur tanti suffragatoris solatium, ut qui uere Christum secutus est, uere crucem baiulans, uere et misericorditer nos suis sanctis meritis Christo reconciliet, ut lutea euadentes ergastula in celesti amenitate faciem Creatoris uidentes collocemur. Cui laus, honor et imperium per infinita secula. Amen’.

'Hec ab ipsa uirgine et uirginis patre, et a capellano et ceteris ueridicis sepius audiui, diligenter didici, uerum comprobauit, et uobis ut potui breuiter scribere curauit.'

[xix.]

**I**n superne ciuitatis regno licet multe sint ac distincte ciuibus mansiones, uniuersis tamen una et indistincta |

**76rb**

in uisione sui regis irradiat felicitas. Quos autem multipliciter una felicitatis concludit gloria, eos uniformiter et una karitatis connectit concordia. Vnde nonnullos quos piis consociari opinor meritis, pariter plerumque cooperari non admiror in miraculis, et unius non nunquam contingit esse miraculi participes, licet in meritis non sint pares. Igitur anno ab incarnatione domini millesimo centesimo septuaginta duo quidam Gaufridus nomine Cantuarie mansitans, uehementissimo dentium dolore laborabat. Vnde suorum consilio permonitus, tres sinistre faucis maxillares quibus maxime perurgebatur, erui fecit, factumque inprouide paruipendens, cene nociue se contulit. Cernens enim candidissimas mense apponi pisas, ac pinguisimum cum allio anserem, gula illectus ex omnibus ad sacietatem gustauit., ceruisiam nouellam bibit, sed contrarie diete gustum grauissimum mox tumoris ac doloris subsecutum est incommodum. Nempe gradatim succrescente doloris angustia, totum adeo caput

intumuit, ut iam non hominis faciem sed monstruosam monstruosi animalis  
pretenderet effigiem, *cutis undique ad instar uesice distenditur, ut intuentes non*<sup>172</sup> |

#### 76va

rumpi mirarentur. Nasi eminentia in planitiem redigitur, oculi infossi hebetantur.  
Turgescitibus labris bucca clauditur et spirandi facultas denegatur. Vnde familiares  
ori eius palustrem quo respiraret inmittunt calamum, ne interclusa spirandi uia  
spiritum suffocaret. Quid multa? Persistente nimii doloris angustia, ad iam gloriosum  
gloriosi martiris et archipresulis Thome sepulcrum ab amicis deducitur, ubi pernoctans,  
angustie sue remedium gemitu quo potuit deprecator. Tandem sub aurora paululum  
obdormiscens, uidet in sompnis sibi assistere piissimum martirem illum et  
archipresulem Thomam dicentem: 'Gaufride, quid hic queris?' Et ille: 'Domine, ut  
mihi miserearis meamque cures egritudinem.' Ad hec sanctus: 'Non est hic cura tua.  
Sed ne tui ad me aduentus fructu defrauderis, consilium do. Surge igitur et domum  
regredere. Factaque in nomine sancti Willelmi martiris Norwicensis candela, eadem  
totum caput tuum circulariter inuolue, et festinum percipies remedium. Curatus uero,  
Norwicum propera, eandem liberatori tuo oblaturus candelam.' Ad hec expergefactus,  
surgit eger, domum regreditur, et que sibi |

#### 76vb

iniuncta fuerant accelerantur. Mira res, ac ualde stupenda! Capite toto in nomine sancti  
Willelmi candela inuoluto, ubi ipsa sub gutture a leua finem cepit, cutis quasi ad  
subulam explosa crepuit, et sanies multa prorumpens effluxit. Mira quidem uelocitas!

---

<sup>172</sup> added in a different ink by the original scribe



Continuo tumor subsidit, dolor abscessit<sup>173</sup> et egrotus conualuit. Curatus ergo peregrinationis iniunctum nolens differre negotium, sepulcrum beati Thome adiit, orauit, licentiam accepit, atque iter arripuit. Cum autem a Cantuaria longius abscessisset, uillamque<sup>174</sup> que Ofspreng dicitur circa horam primam pertransisset, solus uadens orauit ad dominum, ut bonum peregrinationis sue sibi conferre dignaretur consortium. Cumque paululum procederet atque id ipsum instantius orando replicaret, subito uiri duo facie reuerendi habituque uenerabiles superueniunt. Vnus nitidioribus niue splendebat uestibus, alter regii scematis gerebat insignia. Et accedentibus illis, ait candidatus ille: 'Salue, frater, et quo uadis?' Ad hec Gaufridus: 'Bene ueniatis, fratres, ego Norwicum uado.' Et ille: 'Eamus ergo pariter, quoniam et nos ad regiones illas proficiscimur.' Quibus ambulanti, medius interponitur Gaufridus. Qui ue |

**77ra**

lut nobis postmodum enarrauit, ita dulcibus eorum delinitus est uerbis, ut nec itineris laborem ambulando sentiret, nec quomodo Tamesie transieri flumen, cognosceret. Denique ipsa die post nonam urgente ad occasum sole peracta tante admirationis pedestri dieta, ad spinam pariter ueniunt, que tertium a sancto Aedmundo terminat miliarium. Vbi consistentibus illis, ait candidatus ille ad Gaufridum: 'Nunquid, frater, ubi sis cognoscis?' Et cum se nescire responderet, ait: 'Ecce quam uides turris ecclesie sancti Aedmundi est. Vade igitur in pace, et dominus sit tecum. Et quoniam hodie

---

<sup>173</sup> cc above the line

<sup>174</sup> ccoe

mane bonum exoptasti consortium, ecce factum est sicut petisti. Noueris *enim*<sup>175</sup> me esse Thomam archipresulem Cantuariensem<sup>176</sup>, atque hunc alterum, beatum Aedmundum regem et martirem. Beatum uero martirem Willelmum Norwicum premisimus, ibique illum inuenies.' Quibus dictis, a uisibus Gaufridi uterque subito disparuit. In se ergo reuersus Gaufridus quanto magis rem gestam excogitat, tanto amplius qualiter illuc tam cito aduenerit ignorat. Dumque animo metitur uelocitatem, admiratur defuisse laborem. Nimirum ubi labor defuit, lassitudo non successit. Itidem dum suauitatem recolit sermonum, tam sacro se dolet consortio destitutum. Agensque gratias deo |

#### **77rb**

et sanctis martiribus, confestim festino gressu Bedricheswurche properat, ecclesiam intrat, sepulcrum martiris ueneratur, et ad hospitium digreditur.

Mane uero surgens et aliquid uelocitatis hesterne in se persentiscens, reliquum itineris pede propero percurrit, et Norwicum citissime peruenit. Sancti martiris Willelmi sepulcrum adiit, uoti sui<sup>177</sup> candelam cum tribus denariis obtulit, deoque ac pretaxatis sanctis martiribus gratias egit. Beato Thome et beato Aedmundo super solatio grate societatis, sancto autem Willelmo de beneficio prestate sanitatis. Nobis denique diligentius aduentus sui causam sciscitantibus, ex ordine rem gestam enarrauit, tumoris et explose signa cutis ostendit, sanusque in patriam rediit. Quem ego Thomas, Cantuariam postmodum ueniens, sanum et incolumem conspexi; et que ab ipso

---

<sup>175</sup> cc above the line

<sup>176</sup> ms: cartuariensem

<sup>177</sup> ccoe

audieram *ac uideram*, multis<sup>178</sup> protestantibus monachis et laicis, uerissima esse didici, et quoniam pretaxati uelocitas itineris mira et fere uirtuti humane uidebatur impossibilis, circa ueritatis indaginem studiosus et diligens fui. Vnde quod ueritatis hinc uel inde super hoc percepi, presenti pagine indidi. Nempe plures Cantuariensium testati sunt, quod exinde octodecimo Kalendis Februarii ad peregrinandum profectus fuerit, et nos pro certo tenemus, quod septendecimo Kalendis Februarii Norwici ad sepulcrum sancti Willelmi uisus sit, atque ut planius edicam, uno die a Cantuaria pedem mouit, et altero Norwicum aduenit.

Explicit liber septimus.

Expliciunt sancti Willelmi martiris miraculorum uitaque libri.

---

<sup>178</sup> ccoe

